[illegible] - Orphei Argonauticis - 1883

DE ARTE CRITICA
IN
ORPHEI ARGONAUTICIS
FACTITANDA CAPITA DUO.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

FRIDERICUS HILLMANN
CAMMINENSIS

LIPSIAE.
APUD HENRICUM MATTHES.
MDCCCLXXXIII.

FRIDERICUS HILLMANN DE UITA SUA.

Natus sum Fridericus Carolus Hillmann a. d. V kal. Ianuarias a. h. s. LVII in uico Megalopolitanorum, qui uocatur Cammin. Patrem Fridericum et matrem Sophiam e gente Vorbeck oriundam inter uiuos adhuc mihi seruatos esse gaudeo. Fidei addictus sum euangelicae. Puer tredecim annorum gymnasium Gustrouiense frequentare coepi, quod G. C. H. Raspii uiri eruiditissimi et ample de me meriti auspiciis regebatur. Maturitatis testimonium adeptus autumno anni h. s. LXXVI Lipsiam abii, ubi per quattuor semestria studiis philologicis et historicis operam dedi instructus praecipue a Uiris Illustrissimis G. Curtius, Drobisch, Heinze, Lange, Lipsius, Masius, Ribbeck, Voigt, Zarncke; proseminarii philologici exercitationibus per sex menses interfui. Initio quinti semestris Berolinum me contuli, ibique per sex menses praeceptoribus usus sum Uiris Clarissimis Droysen, Steinthal, Vahlen, Wattenbach. Relicta Academia Berolinensi Rostochium iui, ubi per biennium et sex menses me docuerunt Uiri doctissimi Foerster, Fritzsche, Kaibel, Schirrmacher, de Stein; sodalis fui seminarii philologici, quod Fritzsche, Foerster, Kaibel moderabantur, per quattuor semestria, per quinque semestria seminarii historici, cui Schirrmacher praeerat; praeterea mihi contigit, ut per bina semestria interessem exercitationibus et philologicis et archaeologicis a Foerstero institutis. — Denique domum reuersus hanc de arte

critica in Orphei Argonauticis factitanda commentationem conscripsi.

Omnibus iis uiris qui me docuerunt, liceat mihi gratias agere ex animo, praeter ceteros autem Riccardo Foerster, quippe qui consilium suum operamque mihi deesse mira beneuolantia noluerit.

Ut in ea quae sub Orphei nomine circumferuntur, carmina incumberem, commotus sum a Riccardo Foerster, quem Rostochii de disciplinis philologicis docentem audiuisse me gratissime semper recordabor. Hic uir doctus cunctantem et diffidentem me impulit, ut de arte critica in Orphei Argonauticis factitanda quaererem. Et id potissimum mihi proposuit, ut quaererem, num quid ad castiganda Orphei Argonautica ualeret uersio istius carminis, quam fecit latinis uersibus Leodrisius Cribellus Mediolanensis libro manuscripto usus. Qua de re mox intellexi prius apte disputari non posse, quam expositum esset de iis, qui exstant, Argonauticorum codicibus. De

eorum autem indole affinitate auctoritate plura dicenda erant, quam quae prooemii loco possem absoluere. Quae cum ita essent, quaestionem in duas partes diuidere placuit, quarum prior est de libris manuscriptis, posterior de uersione Cribelliana.

CAPUT I.

DE LIBRIS MANUSCRIPTIS.

Qui adhuc emendandis Argonauticis quae Orphei nomen prae se ferunt, operam nauauerunt, de aetate plurimorum codicum id opus exhibentium parum sciebant neque inter singulos codices quae esset ratio, satis accurate quaesiuisse uidentur. His de rebus noui quod proferam aliquid habeo. — Et primum quidem enumerabo eos de quibus disserendum mihi erit, Argonauticorum libros manuscriptos. Sunt autem hi:

1) codex Lugdunensis siue Uossianus 59 (L) in quarto chartaceus, in quo leguntur Orphei Argonautica et hymni, Pythagorae aurea carmina, Callimachi hymni, Aristophanis epigramma in Oedipum et Quinti Smyrnaei in Herculis XII labores, Scholia in Boeotiam Homeri, Musaei carmen de Herone et Leandro, Hesiodi Scutum, uersus in Labyrinthum, Phocylides, Arati Phaenomena, Nicandri Theriaca et Alexipharmaca, Phanoclis poëtae carmen.[1]) Hunc librum, quem O. Schneider in Callimacheis uol. I pag. XXXII dicit esse saeculi XV, hoc saeculo exeunte siue XVI ineunte exaratum esse iudicat Guil. Nic. du Rieu, manuscriptorum Lugdunensium conseruator, ut mecum communiçauit epistula a. d. IX Kal. Quint. a. 1881 data.

2) codex Lugdunensis siue Ruhnkenianus 10 (R), olim Mosquensis, qui a Christiano Friderico Matthaei donatus est Ruhnkenio, cuius a nomine appellari solet. Post Ruhnkenii mortem in Bibliothecam Lugduno-Batauam immigrauit. Est saeculi XV in quarto et exhibet foliis undetriginta Orphei Argonautica: nil

[1]) Cf. Catalog. Bibliothecae Lugduno-Batauae Publ. pag. 398.

aliud. De aetate istius codicis, quem iam Ruhnkenius negauit[2]) esse ualde antiquum, certior factus sum a Guil. Nic. du Rieu, uiro ad iuuanda aliorum studia paratissimo.

3) codex Uindobonensis 153 (U), quem Nessel in Bibliothecae Uindobonensis Catalogo (P IV pag. 89) ita describit: „Codex manuscriptus Philosophicus et Philologicus Graecus est membranaceus, antiquus et optimae notae, in quarto, constatque foliis triginta et ad Io. Sambuci Bibliothecam olim pertinuit, quo continentur Orphei Thracis, unius ex Argonautis, Argonautica". Hunc librum saeculo XV exeunte uel XVI ineunte scriptum esse docuit me per litteras Alfredus Goeldlin de Tiefenau, scriptor Bibliothecae Palat. Uindobonensis.

4) codex Ascewianus (A)[3]) Orphei Argonautica et hymnos complectens, qui ab Ant. Askew, M. D., proximo saeculo e Graecia in Angliam delatus unus e trecentis codicibus fuit, quibus hic uir doctus bibliothecam suam instruxit. Aetatem satis magnam, sed non definitam tribuit codici suo possessor in epistula ad J. M. Gesnerum missa.[4])

5) codex Parisinus inter libros graecos Bibliothecae Parisiensis 2763 (P), olim Colbertinus 4906 uel Regius 3202, chartaceus in quarto, scriptus saeculo XV, in quo insunt Orphei Argonautica et hymni, Procli Lycii hymni, Callimachi hymni cum scholiis in margine, hymni Homerici, Moschi Amor fugitiuus, Musaei Hero et Leander, Hesiodi Opera et Dies, Scutum Herculis, Theogonia, Theocriti idyllia.[5])

6) codex Uratislauiensis siue Rehdigeranus 35 (F), qui habet Orphei Argonautica, Dionysii Alexandrini periegesin, Apollonii Rhodii uitam, argumentum Argonauticorum, Argonautica,

---

[2]) In epistula critica II anno 1782 una cum hymno in Cererem foras missa pag. 228.

[3]) Codex Ascewianus ubi asseruetur, nescimus.

[4]) Cf. Hambergeri praefationem ad Gesneri Orphica Lipsiae a. 1764 edita, quam dedit etiam G. Hermannus in Orphicis a. 1805 emissis pag. XXXI—XL (cf. pag. XXXII).

[5]) Cf. O. Schneideri Callimachea uol. I pag. XXXI.

Hesiodi argumentum Scuti, Scutum, Herculis Labores, Hesiodi Theogoniam, Arati Phaenomena. In fronte istius codicis haec leguntur: „Hunc librum scripsit pater meus Nicolaus Passera de Ianua Patauiis (!) physicus ac medicus excellentissimus anno aetatis suae XXXIIII, currente anno MD(!)CCCCLXXXVIII (i. e. a. 1488); et est mei Marci Antonii de Passeris Ianuensis Patauini et amicorum". Qua de re certior factus sum a Doctore Markgraf uiro humanissimo, qui Bibliothecae Uratislauiensi Urbanae praeest.

7) duo codices Augustani, nunc Monacenses 494 (M 1 et M 2) in quarto, qui ab eadem manu saeculi XV exeuntis uel ineuntis XVI exarati uno uolumine continentur, quod est in Reiseri indice manuscriptorum Bibliothecae Augustanae pag. 69 n. 45. Quo in uolumine scripti sunt primo (fol 5—7 b) uersus priores 137 Argonauticorum; deinde post alia quaedam scripta leguntur (fol 59—64 b) priores Argonauticorum uersus 305.[6]) Hi codices qui dicuntur in ipsis uerbis sic inter se consentiunt, ut fere unius instar putandi sint. Itaque habeo, quod coniunctim eos appellem.

His subsidiis manuscriptis instructus Godofredus Hermannus anno 1805 curauit Argonauticorum editionem, qua meliorem non inueneris. Uariae codicum lectiones uiro illi clarissimo congerendae fuerunt ex I. M. Gesneri et I. G. Schneideri editionibus annis 1764 et 1803 emissis atque ex epistula critica II a Ruhnkenio conscripta, ubi non eadem ex eisdem libris manuscriptis interdum notata erant, ueluti ad uersus 447,[7]) 574, 589, 675, 678, 701, 744, 871, 957, 1065, alios. Codices M 1 et 2 G. Hermannus ipse excussit et inde nonnunquam, ut ad uersus 12, 68, 158, 216 alia attulit atque quae I. G. Schneider ex iis excerpsit. Optandum igitur erat, ut existeret aliquando, qui noua codicum quos iam posui, collatione accuratissime instituenda omnem de eorum uarietatibus dubitationem tolleret. Quod munus suscepisse uidetur E. Abel;

[6]) Cf. G. Hermanni praefationem ad Orphica pag. VI/VII.

[7]) In uersibus numerandis sequor G. Hermanni editionem.

qui in actis quae Philologische Wochenschrift inscribuntur, a Guilelmo Hirschfelder editis[8]) negat apparatui critico Hermanniano ubique fidem haberi posse simulque e libris L R U a se inspectis affert aliquot lectiones ab Hermanno et iis quos hic secutus est, omissas, ueluti ad uersum 29 *σαμοθράκην* e L R U (pro *σαμοθρήκην*[9], quod epica dialectus requirit; uulgo[10] *σαμοφράκην* legi Hermannus dicit); ad u. 114 *μινύων* e U (pro *μινυῶν* quae lectio haud dubie uera est); ad u. 198 *ἀρκαδίηθε* e L [ex corr] (Herm: *ἀρκαδίηθεν* codd.); ad u. 252 e R et U *κεκμηόσιν*[9], quod epicus sermo postulat (Herm: *κεκμηκόσιν* uulgo); ad u. 261 *τ'ἠδέ*[9] e U (Herm: *τ'ἰδὲ* uulgo); ad eundem u. *δρυσί* e L et U (Herm: *δρυσὶν* uulgo, *δρυσὶ* R); ad u. 273 *ὑπὸ τρόπι* e U (Herm: *ὑποτρόπι* pr. a. i. c.[11], *ὑπὸ τρόπι* L et M 2, *ὑποτροπίη* R; ceteri codices quid exhibeant, Hermannus non refert); ad u. 279 *ἀρτύσαντες* e U (pro uera lectione *ἀρτήσαντες*); ad u. 321 *ἠδ'* e U (pro *ἰδ'*, quae scriptura recipienda est); ad u. 350 *μίμνομεν* e L [ante corr] (Hermannus dicit *μίμνωμεν* esse in omnibus libris); ad u. 361 *παρά* e L et U (pro *πάρα* quod scribendum est); ad u. 405 *ὑπὸ πλακταῖς* e L et U (Herm: *ὑποπλαγκταῖς* uulgo, *ὑπὸ πλακταῖς* R); ad u. 459 *ἐφαπλώσαντες* e L, quem Hermannus *ἐρετμώσαντες* praebere affirmat; ad eundem u. *ὑπεὶρ* e U (Herm: *ἐπί ῥ'* uulgo, *ὑπεὶρ* L et R); ad u. 464 *ὁμάλη ῥεῖθρον* e L, quem *ὁμάλη ῥεῖθρόν θ'* habere Hermannus refert; ad u. 468 *σαμοθράκην* e L et U (pro *σαμοθρήκην*, quod epica dialectus exigit); ad u. 499 *ἔρριψαν* e U (pro *ἔριψαν* quod legendum est); aliasque scripturas, quae magnam partem uix notatu dignae sunt. — Sed graues codicum discrepantiae[12]),

[8]) Cf. anni 1882 nr. 8 col. 226—228.

[9]) Ita G. Hermannus leni mutatione scripsit pro „uulgata lectione“.

[10]) Huic uoci G. Hermannus aliam uim subiecit atque quam ei subicere solemus.

[11]) His litteris ueteres editiones Argonauticorum, principem dico quae Florentiae prodiit a. 1500, Aldinam a. 1517, Iuntinam a. 1519, Cratandrinam a. 1523 a me indicantur.

[12]) Lacunas dico quae sunt in singulis codicibus, et uerae discrepantiae exempla, ueluti u. 235 *δέ τοι — μέγα*, u. 293 *οἱ — δή*.

e quibus potissimum de eorum origine cognatione pretio certum iudicium ferre liceat, praeter paucas omnes ab Hermanno sub ipso Argonauticorum textu adiectae uidentur.

Quae cum ita sint, non nimium mihi sumpturus uideor, si e uariis lectionibus ab Hermanno indicatis efficere conabor, codicum enumeratorum qualis sit affinitas atque auctoritas. Uerum quas scripturas antea omissas E. Abel loco supra citato notauit, eas in rem meam, quoad eius fieri poterit, conuertam.

Exstat praeterea in Bibliotheca Monasterii Strahov, quod prope Pragam situm est,

8) codex chartaceus saeculi XV (S), quem ad recensenda Argonautica adhibere G. Hermanno non licuit. Complectitur autem Oppiani Halieutica, Orphei Argonautica, Callimachi hymnos, Musaei carmen de Herone et Leandro compositum, dicta collectanea. Post folium sexagesimum excidit folium, in quo legebantur Argonauticorum uersus 780—840. Hunc librum Strahouiensem nuper diligentissime cum G. Hermanni editione contulit Fridericus Schubert et quae inde excerpsit, publici iuris fecit.[18])

Iam praemissa codicum notitia progrediendum est ad explicandam eorum indolem et affinitatem, ut quid pretii unicuique tribuendum sit, cognosci queat. Qua de re in Argonauticis tutius et confidentius agere licebit, non quod maior in hoc carmine fuerit, quam in plerisque operibus graecis librariorum cura, sed quia planius, quam solet, ostendi potest, quomodo codicum uarietas orta sit. — Primo statim obtutu animaduertimus Argonauticorum codices uno excepto eiusdem fere aetatis esse saeculum XV non superantes. Librum A, qui cuius saeculi sit, nobis non constat, satis antiquum esse affirmat Ant.

---

[18]) Sitzungsberichte der hist.-phil. Classe der kaiserl. Akademie der Wissenschaften zu Wien 1881 (uol. XCVIII tom. 2. pag. 449—485). Quae commentatio inde seorsum expressa est apud Caroli Gerold filium, Uindobonae 1881.

Askew, M. D.; qua ex re nolim concludere ultra saeculum XV eum ascendere[14]) et uetustate principem esse in numero eorum qui Argonautica continent, codicum. Quae cum ita sint, Godofredus Hermannus[15]) iniuria profecto L R U contendit optimos esse et antiquissimos codices, inferiorem ordinem tenere F P A. Optimos codices esse L R U concedam, sed uetustate eos ceteris praestare negandum erit.

Accuratius libros manuscriptos inspicientibus nobis id quoque perspicuum fit de eorum origine et auctoritate non prorsus recte statutum esse a Guilelmo Wiel[16]), qui solus his de rebus plenius disputauit in Obseruationibus quas anno 1853 scripsit in Orphei Argonautica pag. 1—6. Ubi iudicauit codices tum notos praeter M 1 et 2 omnes ex uno libro eoque lacunis et aliis uitiis deformato deriuatos quidem esse, at tempore diuerso: codices F P A quoniam omitterent uersus 51, 96, 1285, qui in optimis et antiquissimis libris L R U legerentur[17]), tum demum exaratos esse, cum primarius codex magis etiam laceratus esset; recentissimos codices M 1 et 2 uersus 51 et 96 exhibentes non ab archetypo, sed a R manasse. — At Wielius G. Hermannum secutus errauit in eo, quod codices L R U uetustiores esse sumpsit quam F P A; cuius saeculi essent singuli codices, neutri neque Wielio neque Hermanno exploratum erat. — Uerum quodcunque praesidium refutanda accuratius Wielii opinione aliter iudicanti mihi parare potero, id missum faciam, immo potius quod ipse sentio proferam et probare studebo ita, ut simul data occasione ostendam, quatenus ille a uero aberrauerit.

---

[14]) Codex U, qui antiquus dicitur a Nesselio, est saeculi XV exeuntis siue XVI ineuntis.

[15]) Cf. Praefat. ad Orphica edita pag. VII.

[16]) G. Wielius apparatu critico Hermanniano usus scripsit Obseruationum in Orphei Argonautica Partes IV, quarum prima est dissertatio Bonnae a. 1853 foras missa, ceterae leguntur in libellis Scholae Bedburgensis annis 1861, 1862, 1866 editis.

[17]) Adnotandum est uersum 51 deesse etiam in codice U, uersum 96 desiderari etiam in L.

Atque quantum nunc sciri potest, id imprimis tenendum est duo codicum Orphei Argonautica continentium genera esse; quorum alterum (Φ) complectitur L R U S M 1 et 2, alterum (Ψ) A P F. Quod uelut hoc scripturarum delectu demonstratur: Habent enim .

uss.	L R U S M 1 et 2:	A P F:
88	*θέσφατον*	*θέσκελον*
157	*Λιπάξον*	*Λιπέζον* A P
	Λιπάζον R?	*Λιπέξον* F
165	*ὅς ῥ' ἔναιεν*	*ὅς ἔναιεν*
285	*ὅντινά οἱ* L S M 2	*ὅντιν' ἄρα*
	ὅντιν' οἱ R U	
292	*πόνον*	*πόνων*
[18])293	*οὔ οἱ*	*οὐ δὴ*
396	*καί οἱ κεκλιμένος*	*καὶ προκεκλιμένος*
405	*ὑπὸ πλακταῖς*	*ὑποπλαγκταῖς*
435	*ἔστατο* L R U	*ἔστευτο*
	ἕστατο S	
459	*ὑπεὶρ*	*ἐπί ῥ'*
467	*κάμνον*	*κάμψαν* A P
		κάμψας F
587	*'Αθήνης* L, in R U S lacuna est	*Κάστορι*
610	*ὥς κε*	*ὅς γε*
632	*ἐπεί ῥ'*	*ἐπεί γ'*
633	*θῦνε*	*θεῖνε*

[18]) Codex M 1 non exhibet nisi priores 137 Argonauticorum uersus, uersu 309 finitur M 2.

uss.	L R U S M 1 et 2:	A P F:
641	Ὀργάνθου	Ἀργάνθου
656	ἐφημοσύνῃσι πίθοντο	ἐφημοσύναις ἐπίθοντο
671	τὸ μέγα ἄστυ L R U	μέγα ἄστυ
	τὸ μέγ' ἄστυ S	
678	δέ οἱ	δ' ἄρα
729	θῖνα	θαλλῖν
740	ἕλκον	ἕλκων
741	νέρθεν	νέρθε δ'
742	δέ μιν σκύρης L R U	Θεμισκύρης
	δὲ μισκύρης S	
ibid.	βοιατίδος	βοιαντίδος
744	Τιβαρηνά R U S	στυβαρήνα [19])
	Τηβάρηνα L	
750	πόντου	κόλπου
751	εὐθαλέα L R U	εὐθαλῆς
	εὐθαλέά S	
756	Χινδαίων L	Χιδναίων
	Χυνδαίων R S	
	χ' ἰδαίκον (χ' ιδ = χινδ) U	
764	αὐτίκα οἱ στέφανος	αὐτίκ' ἄρα στέφανον
773	ἤ μιν	ἠέ γ'
776	οὔ οἱ	οὐ γὰρ
778	ἵνα οἱ	ἵνα δὴ
[20])839	οὐδέ τί οἱ L R U	οὐδέ τι δὴ
841	οὐδέ τί οἱ L R U	οὐδέ τι μὴν
	οὐδέ τοι οἱ S	

[19]) Quid uersibus 744, 1029, 1262 codices A P F habeant, G. Hermannus non refert; sed non dubito, quin in i s legamus στυβαρήνα, ἀλλά ἑ, αὐτόθι κατέσχεν, quae scripturae reperiuntur in Argonauticorum editione principe Florentina anni 1500; quae editio maxime consentit cum illis libris manuscriptis.

[20]) Uersus 780—840 in codice S deesse supra dixi.

uss.	L R U S M 1 et 2:	A P F:
871	ἐρωτοτρόφος	ἐρωτοτρόφη
918	εὐώδης	εὐειδὴς
920	κυκλαμές τε θεοειδὴς L R U	κυκλαμίς τε θεουδὴς
	„ „ θεοειδὲς S	
925	κάλπασον	κάπασον
935	δ' ἀδμήτοις	ἀδμήτοις δ'
940	οἱ μὲν	ἡ μὲν
945	τε δαεὶς φησι	τ' ἐδάη σφῇσιν P F
		„ φῇσι A
959	φωριαμῶν	φωριαμοῦ
964	πνίκον	κνῆκον
979	δαϊκτίν	δαητόν
1005	κλάγξας	κλάγξα
1015	στυφελῶν	στυφελὸν
1029	ἀλλά οἱ L R U	ἀλλά ἑ [19])
	ἀλλ' οἱ S	
1031	δέ οἱ	δὲ τότ'
1038	ἀλλά οἱ	ἀλλ' ἄρα
ibid.	οὐδὲ	ἠδὲ
1048	Βουνόμαι L R U	Βουόνομαι
	βουνώμαι S	
1049	Κερκετικῶν	Κερκετικὸν
1064	Γελωνῶν	Γελωνὸν
ibid.	βαθυάγρων	Βαθυχαίτων
1066	Ἀριμάσπας	Ἀριμάσθας P F
		Ἀριμάθας A
1076	ἀγνινέα L S	ἀπηνέα
	ἀγνηνέα R U	
1079	ἀνδροφάγους R U S	ἀνδροφόνους
	ἀνδρομάγους L	
1108	κείνην L R U	κλείνην
	'κείνην S	

uss.	L R U S M 1 et 2:	A P F:
1118	*φορβὰ*	*φερβὰ*
1149	*ἀναπλήσαντες*	*ἀναπλώσαντες*
1172	*εἰ μή τ' ἄρμ' ἱεροῖσιν* L *εἰ μή τ' ἄρ μ' ἱεροῖσι* R *εἰ μή τ' ἄρ' ἱεροῖσιν* U S	*εἰ μὴ γάρ μ' ἱερῆσιν*
1214	*ῥά οἱ*	*τότ' ἄρ'*
1217	*εἴ τις σφε βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν,* nisi quod U et S: *βροτῶν γ' ἀπείρονα γαῖαν*	*εἴ τις ἄρ* (*εἰ* deest in A et P) *ἀνθρώπων ἀν' ἀπείρονα γαῖαν*
1228	*δὲ σχέθε* L S *δ' ἔσχε* R U	*δ' ἄμφεσχε*
1231	*ἆ δειλή, τί νυ τοι τοίην Κύπρις,* sed S omittit *ἆ* et pro *τοι* habet *σοι.*	*ὢ δειλὴ τίνα σοι Κύπρις*
1233/4	*πανετώσιον οὕνεκα — ὀλέσαντες*	*πανατώσιοι εἵνεκα — ὀλέσατε*
1243	*καὶ*	*σὺν δὲ*
1262	*αὐτόθι οἱ κατέχεν*	*αὐτόθι κατέσχεν*[19])
1263	*ἀναρρώσεσθαι*	*ἀναδύσεσθαι*
1283	*ἤειδον δὲ ὕμνον κλάζων διὰ θέσκελον αὐδήν,* nisi quod U *ἀοιδήν*	*ἤειδον δὲ λιγὺ κλάζων διὰ θέσκελον ὕμνον*
1287	*τύψε Λυκτονίην*	*τύψεν Λυκτονίην*
ibid.	*χρυσείῃ* L R U *χρυσείη* S	*χρυσῖνι*
1309	*Ἐράνων* L R *ἐρανῶν* S *Ἐράννον* U	*Ἐρρανῶν*

Nec uero pauca sunt exempla, quibus codices inter se discrepantes in illa genera (*Φ* et *Ψ*) non discedunt, ueluti u. 18, ubi codices L M 1 et 2 *Γηγενέων* exhibent, R U S A P F habent *Γιγάντων*; u. 31, quo L S M 1 et 2 *μητρὸς*, ceteri *νυκτὸς* praebent, u. 235, ubi *πόθεεν δέ τοι ἔργον* legitur in R S M 2, in reliquis est *πόθεεν μέγα ἔργον*. Caue igitur credas nullum unquam codicem a sua familia secedere. Nam familiae *Φ* libri tametsi socii inter se concordesque esse solent, magnas tamen habent dissimilitudines ac saepius diuersa signa sequi uidentur. Et uides profecto nunc codices L et R a U et S, nunc L et U a R et S, saepe L et S a R et U, saepe hos codices singulos a ceteris dissidere; libri M 1 et 2 plerumque cum L consentientes interdum cum eodem discordant. Quae cum ita sint, apparet classem *Φ* haud facile in partes diuidi posse. Singulis autem locis ubi aliquantum inter se discrepant codices L R U S M 1 et 2 in duas, non tres uel plures partes discedunt, quarum altera cum familiae *Ψ* libris A P F facere solet:

314 codd. U S *πέπλα* exhibentes cum A P F (*πέπλῳ*) stant contra L R *πολλὰ* praebentes.
500 „ „ *ἀήταις* „ „ „ „ „ „ *ἀέλλαις* „
610 „ „ *τανυφλοίου* „ „ „ „ „ „ *τανυφύλλου* „
882 „ „ *ἀργώας* „ „ „ „ „ „ *Ἀργφῆς* „
1253 „ „ *ἐχαράξαμεν* „ „ „ „ „ „ *ἐχαράσσομεν* „

---

175 codd. LUM 2 *κεύθεα* exhibentes cum APF stant contra RS *κεύθεοι* praebentes.
235 „ LU *μέγα ἔργον* „ „ „ „ „ RSM 2 *δέ τοι ἔργον* „
(S habet *δ' ἔτοι = δέ τοι*)
390 „ „ *εὖ μὲν* „ „ „ „ „ RS *εὖ καὶ* „
602 „ „ *δὲ* „ „ „ „ „ „ *δέ ἑ* „
672 „ „ *σπεύδοντες* „ „ „ „ „ „ *σπένδοντες* „
ibid. „ „ *ἠδ' ἐν νιφάργεσιν* „ „ „ „ „ „ *ἠδὲ νιφάργεσιν* „
702 „ „ *ἔκερσαν* „ „ „ „ „ „ *ἔκυρσαν* „
1245 „ „ *ποτοῖο* „ „ „ „ „ „ *ποτῆτος* „

---

31 codd. RU *νυκτὸς* exhibentes cum APF stant contra L S M 1 M 2 *μητρὸς* praebentes.
253 „ RUM 2 *μετὰ χεροὶν* „ „ „ „ „ LS *περὶ χεροὶ* „

u. 300 codd. RU ὡς δή exhibentes cum APF stant contra LSM2 ὥς ῥά praeb
u. 311 „ „ πορσῦναι „ „ „ „ „ LS κομίσαι
u. 315 „ „ περιμυκέα „ „ „ „ „ { L περιμηκέα / S περιμήκεα }
u. 521 „ „ ὁρμαίνοντες „ „ „ „ „ LS ὀρίνοντες „
u. 710 „ „ αὐδήν „ „ „ „ „ „ ὀμφήν „
uss. 770 et 1160 „ πονήατο „ „ „ „ „ „ πονείατον „
u. 898 codd. „ ἔρκος „ „ „ „ „ „ μῆκος „
u. 1041 „ „ τάμον „ „ „ „ „ „ τόμον „
u. 1087 „ „ λυγρὸν „ „ „ „ „ „ αἰπὺν „
(L habet ἐπὺν = αἰπὺν)
u. 1301 „ „ ἐξίκετο „ „ „ „ „ „ ἐξικόμεθα „

u. 18 codd. RUS γιγάντων exhibentes cum APF stant contra LM 1 et 2 Γηγενέων praebe
u. 250 „ „ αὐτὰρ ἔμοιγε „ „ „ „ „ LM2 αὐτὰρ ἔπειτα „
u. 266 „ „ πᾶσιν „ „ „ „ „ „ Φᾶσιν „
u. 536 codex L γάρ γε exhibens „ „ stat „ RUS γάρ οἱ „
u. 671 codd. RUS πλατείῃ exhibentes „ „ stant „ L βαθείῃ praebente
(S sine ι subscr)
u. 751 „ „ ἐστὶ „ „ „ „ „ „ αἰπὺ „
u. 1141 „ „ ἀμφὶ „ „ „ „ „ „ ἔνθα „

u. 100 codd. LUSM 1 et 2 πλεύσας exhibentes cum APF stant contra R πλείων praebent
u. 650 „ LUS ἀντίθεον „ „ „ „ „ „ ἠΐθεον „
u. 651 „ „ τε πέλῃ (S sine ι subscr) „ „ „ „ „ „ τ' εἴῃ „
u. 1176 codex R πυκνώθη exhibens „ „ stat „ LUS παχνώθη praebent

u. 227 codd. LRSM 2 ἡρώεσσιν ἐλάσσαι exhibentes cum APF stant contra U ἡρώεσσι πελάσ [praebent
u. 276 „ UM 2 ἀγχόθι exhibentes cum APF stant contra LRS αὐτόθι praeben
u. 373 codex U διασῆς exhibens „ „ stat „ „ διὰ γῆς „
u. 532 „ „ οὐ γὰρ „ „ „ „ „ „ οὔ οἱ „
u. 574 „ „ κατεκίαθον „ „ „ „ „ „ μετεκίαθον „
u. 737 „ „ τὴν δὴ „ „ „ „ „ „ τήν οἱ „
u. 865 „ „ ἐνιπῇ „ „ „ „ „ „ ἐν οἴκῳ „
u. 892 „ „ τότ' ἄρα „ „ „ „ „ „ τότε οἱ „
u. 1107 „ „ γάρ ἑ „ „ „ „ „ „ γάρ οἱ „

u. 179 codd. LRUM 2 ἀσκληπιοῖο exhibentes cum APF stant contra S ἀσκληπιοῦ praebente
u. 715 „ LRU πήματ' ὀλέθρου „ „ „ „ „ „ πείρατ' ὀλέθρου „
u. 853 „ „ κέρδιόν ἐστιν „ „ „ „ „ „ κέρδιον οἶμαι „
u. 1377 „ „ ἐπ' Ἰωλκὸν „ „ „ „ „ „ Ἰαωλκὸν „

Quae res non tam mira neque tam difficilis explicatu est, quam primo obtutu fortasse uideatur, et postea explicabitur.

Contra nunquam fere fit, ut libri A P F inter se dissentiant: inter hos codices tanta est similitudo, ut unius instar sint; neque enim ullum uerae eorum discrepantiae exemplum afferre poteris.

Et ea scripturarum diuersitate familiae plerumque disiunctae sunt, ut cum codices L R U S M 1 et 2 siue omnes ad unum, siue pars eorum uerum exhibeant aut propius a uero absint, A P F in falsa lectione mire consentiant. Quod facillime intelleget, qui uarias codicum lectiones supra positas diligenter perlegerit. Atque satis erit unam eamque grauissimam rem exempli gratia protulisse.

Pronomen *οἱ*, cuius uim ac naturam primus G. Hermannus recte explicauit, in Orphei Argonauticis integrum seruatum est septuaginta circiter locis, quorum in quinquaginta[21]) fere utriusque familiae codices consentiunt; sed iis, qui supersunt, locis (uss. 285, 293, 396, 532, 536, 678, 737, 764, 776, 778, 839, 841, 892, 1029 (?), 1031, 1038, 1107, 1206, 1214, 1262 (?)[22]) illud *οἱ* non legitur nisi in prosapiae *Φ* codicibus, in ceteris summo consensu — qui unde natus sit, postea dicam — uel in *δή* uel in *ἄρα* uel in *γάρ* uel in aliud mutatum est:

---

[21]) Uss. 56, 58, 67, 174, 228, 233, 247, 251, 255, 269, 272, 273, 277, 298, 300, 301, 497, 505, 528, 535, 548, 580, 591, 659 (bis) 687, 696, 734, 791, 810, 816, 821, 871, 929, 939, 1141, 1146, 1186, 1205, 1270, 1279, 1284, 1316, 1318, 1339, 1341, 1360, 1368. Guil. Wielius et qui eum secutus est, Schubertus errant cum dicunt *οἱ* in Argonauticorum codicibus reperiri sexaginta circiter locis, quorum in quadraginta omnes codices consentiant. Cf. Wielii Obss. P. I pag. 5 et Schubert Sitzungsberichte der hist.-phil. Klasse der kaiserl. Akademie der Wiss. zu Wien 1881 uol. XCVIII tom. 2 pag. 459 sq.

[22]) U. 68 quod e codice M 2 affert Schneider, *καὶ οἱ* sine dubio debetur librario, cujus oculi aberrauerunt ad uersum antecedentem, qui incipit *καὶ οἱ*.

u. 285	ὅντινά οἱ L S M2 ὅντιν' οἱ R U	ὅντιν' ἄρα A P F
u. 293	οὔ οἱ L R U S M2	οὐ δὴ „
u. 396	καί οἱ κεκλιμένος L R U S	καὶ προκεκλιμένος „
u. 532	οὔ οἱ L R S	οὐ γὰρ U A P F
u. 536	γάρ οἱ R U S	γάρ γε L A P F
u. 678	δέ οἱ L R U S	δ' ἄρα A P F
u. 737	τήν οἱ L R S	τὴν δὴ U A P F
u. 764	αὐτίκα οἱ L R U S	αὐτίκ' ἄρα A P F
u. 776	οὔ οἱ „	οὐ γὰρ „
u. 778	ἵνα οἱ „	ἵνα δὴ „
u. 839	οὐδέ τί οἱ L R U [23])	οὐδέ τι δὴ „
u. 841	οὐδέ τί οἱ L R U οὐδέ τοι οἱ S	οὐδέ τι μὴν · „
u. 892	τότε οἱ L R S	τὸτ' ἄρα U A P F
u. 1029	ἀλλά οἱ L R U ἀλλ' οἱ S	ἀλλά ἑ editio princeps = [A P F
u. 1031	δέ οἱ L R U S	δὲ τότ' A P F
u. 1038	ἀλλά οἱ „	ἀλλ' ἄρα „
u. 1107	γάρ οἱ L R S	γάρ ἑ U A P F
u. 1206	ἀλλά οἱ L ἀλλὰ R S (οἱ uel γέ omittitur).	ἀλλά γε „
u. 1214	ῥά οἱ L R U S	τότ' ἄρ' A P F
u. 1262	αὐτόθι οἱ κατέχεν L R U S	αὐτόθι κατέσχεν editio princeps = A P F

Neque unquam fere accidit, ut librarii hoc pronomen, quod quid sibi uellet, nescirent, ultro in uersus inferrent. Contra constat eam uocem obscuram haud raro e textu sublatam esse a librariis nunc aliud pronomen nunc particulam substituentibus. Et in Argonauticis saepius illud οἱ neglecta omnium codicum auctoritate restituendum est [24]), at minime omnibus iis locis,

[23]) Uersus 780—840 desunt in codice S.

[24]) Ueluti u. 1167, ubi codices omnes ad unum ἐπεὶ νῦν αἰεὶ habent, sed legendum est ἐπεί νύ οἱ αἰὲν, ut coniecit G. Hermannus.

quibus restitui id uult G. Hermannus huius pronominis amator. — Quae cum ita sint, manifestum est libros manuscriptos quotiescunque *οἱ* exhibeant, ueram et antiquam nobis offerre lectionem.

Paucis tantum uersibus ii, quos classe Ψ comprehendimus, libri A P F soli genuinam habent scripturam, ut u. 587 *Κάστορι* (*Ἀθήνης* L, in ceteris lacuna est), u. 671 *μέγα ἄστυ* (*τὸ μέγα ἄστυ* L R U, *τὸ μέγ' ἄστυ* S.) u. 741 *νέρθε δ'* (*νέρθεν* L R U S) u. 742 *θεμισκύρης* (*δέ μιν σκύρης* L R U *δὲ μισκύρης* S) u. 945 *δ' ἐδάη σφῆσιν*, sed *φῆσι* A (*τε δαεὶς φησι* L R U S) u. 964 *κνῆκον* (*πνίκον* L R U S).

Accedit, quod in codicibus familiae Φ tres leguntur uersus, qui desunt in ceteris:

51 *ἡρώων τε καὶ ἡμιθέων πρόμος ἐξεπέρησεν,*
96 *καὶ κλέος, ἀνθρώποισιν ἐπ' ἐσσομένοισι πυθέσθαι.*
1285 *Ζεὺς ὑψιβρεμέτης καὶ πόντιος Ἐννοσίγαιος.*

qui uersus non eiusmodi sunt, ut a librariis originem accepisse uideantur, sed ad sententiam absoluendam maxime necessarii sunt. — Est igitur magna ac continua inter codices L R U S M 1 et 2 atque A P F dissensio.

Codices postquam in genera distribuimus atque de ipsorum generum indole et auctoritate pauca addidimus, nunc de origine et cognatione codicum L R U S M 1 et 2, e quibus classis Φ constat, exponemus. Proximum est, ut hos libros manuscriptos non alium ex alio fluxisse demonstretur. Ac primum luce clarius est codices L R U S non alium ex alio descriptos esse (de M 1 et 2 nunc nondum loqui praestat). Nam uersus 51, quem habent L R S

ἡρώων τε καὶ ἡμιθέων πρόμος ἐξεπέρησεν,

deest in U; eos autem, quos praetermittit L, uersus 96 et 291

καὶ κλέος ἀνθρώποισιν ἐπ' ἐσσομένοισι πυθέσθαι.
οἵ ῥα καὶ ἀθανάτου ῥίζης γένος εὐχετάασθε,

praebent R U S; uersus 885—887, 1100—1101, qui desiderantur in S, exhibent L R U sic fere:

885 *στέρνα τε μαιμώωσα, κύσεν χαρίεν τε πρόςωπον*
δάκρυσι πλημμύρουσα γενειάδας· οὐδέ τιν' αἰδῶ
ἔσχε πόθων ἥρωος, ἐλαυνομένη δ' ὑπὸ φίλτρων

[25]) 1100 βάντες ὑπὲρ τοίχων, ἄλαδε σφυρὰ κοῦφα βάλοντο.
ὦκα δ' ἄρ' ἀρτήσαντο πολυστρέπτοισι κάλωσιν,

denique ii, qui reperiuntur in L U S, uersus 1008, 1009, 1096

1008 ὄφρα μολὼν θέλξειε μένος βριαροῖο δράκοντος.
ῥίμφα δέ μοι ὑπάκουσε, Κυτηΐδα δ' ἷκτ' ἐπὶ γαῖαν.
1096 ἱδρῷ ἀποψύχοντε· κέαρ δέ τε τείρετο λιμῷ.

non leguntur in R. Neque hi uersus ii sunt, qui a librariis interpolati uideantur. Nam exceptis uersibus 1008 et 1009, qui librarii errore ex duplici (uss. 1007 et 1010) ἀνθρώπων orto praetermissi sunt in codice R, atque uersibus 885—887, qui casu nescio quo exciderunt in S, reliqui plane necessarii sunt ad sententiam.

Deest praeterea in singulis codicibus, de quibus hic sermo est, aliquid, quod exstat in ceteris, ueluti:

u. 188,	ubi in	S	desideratur	νόθος,	quod	habent	L R U
u. 540,	„ „	U	„	ὄσσοις,	„	„	L R S
u. 564,	„ „	L	„	δ' ἆλτο,	„	„	R U S
u. 600,	„ „	R	„	πίδακος,	„	„	L U S
u. 1188,	„ „	R	„	ὑγρὸν,	„	„	L U S

Et id quoque omnibus perspicuum est codices L R U S non manasse e codicibus siue fragmentis M 1 et 2. Qua de re uerba facere prorsus superuacaneum uidetur.

Restat igitur. ut doceam codices M 1 et 2 neque ex L neque ex R neque ex S originem duxisse. Guilelmus Wiel, qui in Obseruationibus quas anno 1853 scripsit in Orphei Argonautica pag. 4 de illorum codicum origine disseruit, ex R eos fluxisse contendit sic argumentans: „Exstant, inquit, uersus 51 et 96 in Augustano codice utroque (i. e. in M 1 et 2) ab eadem manu eaque recentissima scripto; quos uersus cum eo tempore, quo

---

[25]) Similis uersuum 1100 et 1102 exitus in βάλοντο et βαλόντες effecisse uidetur, ut uersus 1100 et 1101 in codice S omitterentur.

scripti sunt illi codices, in primo libro non amplius exstitisse probabile sit, cum antiquiores, quam illi, codd. Parisiensis Uratislauiensis, Ascewianus, quos et ipsos e primario libro originem habere uerisimile est, eos omittant, inde non improbabiliter uidetur colligi, Augustanos codices non e primo libro ortos esse, sed ex eo quocum saepissime consentiunt, qui est Ruhnkenianus.“ Quod cui probatum est, ei codices M 1 et 2 nibili aestimandi sunt, quoniam liber, unde descripti dicuntur, R ad nostra tempora peruenit. Et tamen ipse Wielius, qui M 1 et 2 ex R fluxisse statuit, uersu 11 illorum lectioni ἀκήματα [δ' ὄρκια] coniecturam superstruere audet scribens ἀκήρατα [δ' ὄργια] una littera mutata[26]).

Uerum ad uarietates quae sunt inter hos libros manuscriptos, Wielio animus magis aduertendus erat, quam ad lectiones eorum communes: id imprimis ei ostendendum erat non tantam codicibus M 1 et 2 cum R esse dissensionem, ut parum uerisimile esset ex hoc illos fluxisse. Nam quod M 1 et 2 cum R „saepissime consentiunt“, hoc paruam habet uim ad illud Wielii probandum, si res grauissima obstat. Atque omnino nego M 1 et 2 ad R saepius et propius accedere quam ad ceteros familiae Φ libros. Immo uero M 1 et 2 lectionum natura non tam cum R congruunt quam cum L — id quod etiam J. G. Schneider[27]) et G. Hermannus[28]) animaduertisse uidentur, — neque multo minus a R discrepant quam a U et S. Cum autem uersus 51 et 96, quorum alterum omittit U, alterum L, in M utroque reperiantur et u. 188 id quod S non exhibet, νόθος legatur in M 2, inde recte colligitur M 1 et 2 ex his libris non deriuatos esse. At ne ex R quidem codice uersus 51 et 96 atque illud νόθος praebente M 1 et 2

[26]) R et ceteri codd. habent ἄκη· μετὰ δ' ὄρκια, qua ex lectione haud dubie ortum est quod praebent M 1 et 2.

[27]) Cf. Epistulam ad Christianum Fr. Matthaei missam, quae est in praefatione ad Orphei Argonautica a. 1803 edita pag. XI.

[28]) Cf. Praefat. ad Orphica pag. VII, ubi G. Hermannus: M 1 et 2 „fere cum codice Uossiano (L) conueniunt.“

manasse probabile est. Cuius rei leue quidem, sed tale quod silentio non praeteream argumentum hoc est, quod uersus 291[29]), quem R habet, itemque uersus 302 in R post u. 304 repetitus[30]) in M 2 deest; id enim casu fieri potuit. — Age uero contemplare mecum, quantum intersit praeterea inter R atque M 1 et 2: Habet

uss.	R	M 1 et 2
18	*Γιγάντων*	*Γηγενέων* (idem in L est)
24	*καὶ Μήλον*	*εὐμήλον* (*εὐ Μήλον* L, *εὐμήλον* S)
28	*θεσμοὺς*, quod pro *χρησμοὺς* scripsit librarius codicis R aberrantibus oculis ad uersum praecedentem, qui incipit *θεσμοφόρος*.	*χρησχοὺς*, quod est in omnibus praeter R codicibus.
31	*νυκτὸς*	*μητρὸς* (idem in L et S)
66	*ἐπεκέκλετο*, quod in hunc uersum ex uersu 61 irrepsisse uidetur.	*ἐπετέλλετο*

[29]) Idem uersus deest in codice L.

[30]) Facile fieri potuit, ut u. 302 post u. 304 repeteretur, quoniam idem hemistichium uersum 301 claudit, in quod exit uersus 304. Leguntur autem in codice R inde ab versu 301 haec:

ὅς (Hercules) *ῥά οἱ αὐτὸς ἔνισπεν Ἰήσονα κοίρανο εἶναι*
πεντήκοντ' ἐρετμαῖσιν ἀνὰ κρατερήν τε καὶ ὑγρήν.
καὶ τότε δὴ μάλα πάντες ἐπήνεον, ὡς ἐκέλευεν
Ἡρακλέης, καὶ θῆκαν Ἰήσονα κοίρανον εἶναι
πιντήκοντ' ἐρετμαῖσιν ἀνὰ τραφερήν τε καὶ ὑγρήν.

Quae non ea sunt, ut quicunque Argonautica ex codice R descripsit, habuerit, quod uersum illum repetitum omitteret. Nam ferri potest uersus 302 post uersum 304 repetitus.

uss.	R	M 1 et 2
100	*πλείων ἐπὶ οἴνοπα πόντον,* quae lectio e recordatione Homeri nata uidetur,[31]) apud quem (*α*, 83) haec uerba leguntur.	*πλεύσας ἐπὶ οἴνοπα πόντον,* quod est etiam in L U S A P F.
219	*διασὸν αὖ*	*διασὸν δ' αὖ*
244	*ἐδύοντο*	*ἐκδύνοντο*
250	*ἔμοιγε*	*ἔπειτα* (idem in L est)
266	*πᾶσιν*	*Φᾶσιν* (idem in L)
276	*αὐτόθι*	*ἀγχόθι*
297	*μ' ἔξοχος*	*μέγ' ἔξοχος*

Iam quod Wielius de codicum M 1 et 2 origine statuit, non probabis. Et inde potissimum, quod hi libri nonnullis locis (uss. 18, 28, 66, 219, 244, 266, 297) haud dubie ueram praebent lectionem, ubi R scripturam deprauatam exhibet, intellegitur ex hoc illos non esse profectos. Nam M 1 et 2 mendis scripturae etiam apertissimis sunt inquinati, unde apparet lectiones, quas hi libri probabiles habent, non librarii ingenio deberi, sed antiquam scripturam seruasse.

Atque inter omnes familiae *Φ* codices quamuis plurima habeant communia et bona et uitia, tanta tamen est lectionum uarietas, ut hos libros non alium ex alio fluxisse pateat. Quod cognitum compertumque tibi erit, si inspexeris uarias codicum lectiones ad uersus 18, 24, 31, 66, 108, 119, 149, 235, 244, 250, 266, 276, 297, 390, 420, 564, 650, 651, 677, 686, 710, 751, 758, 796, 865, 877, 898, 941, 989, 1041, 1106, 1141, 1176, 1195, 1288, 1377, alios notatas.

---

[31]) Similitudines sunt in omnibus libris manuscriptis uss. 442 (*χεῖρ' ἐπὶ καρπῷ*), 505 (*Αἰνῆος φίλος υἱὸς*), 517 (*τεθηπότες*), in L S A u. 848 (*μένος ἀνδρῶν*), in S uss. 686 (*πηνελόπεια*), 715 (*πεῖρατ' ὀλέθρου*) 1106 (*παρὰ ξεστῆς ἐλάτῃσιν*), 1195 (*ἀπείριτον ἐστεφάνωται*), 1288 (*κατ' ἀπείρονα γαῖαν*).

At sunt in codicibus L R U S M 1 et 2 quaedam corruptelae, quae primo statim adspectu ad fontem communem deducant; e uitiis autem maxime affinitas dignoscitur. Eiusmodi sunt lacunae manifestae quae in omnibus generis *Φ* codicibus inueniuntur post uersus 93, 224, 603, 1069, 1092, 1234, 1324[32]); porro loci in his libris eodem fere mendo foedati, quales sunt uersus

72 *κιθάρην*
105 *ἄλλον*
139 *αὐτίκα δ᾽ Ἀκτορίδης*
151 *Ἰφιδάμας*
180 *Ἀκτορίων Ἴλου*
190 *ἀμβρόσιον*
262 *αἰὲν*
305 *ἠέλιος τὸν ἀπείριτον*
362 *πείσματα θέσθαι*
405 *ὑπὸ πλακταῖς*
435 *ἔστατο*
445 *παρὰ*
459 *ὑπεὶρ*, quod pro *ἔπειθ᾽* scripsit librarius codicis primarii aberrantibus oculis ad uersum sequentem, ubi *ὑπὲρ* legitur.
462 *Πισσαίη*
464 *ὁμαλὶ*
467 *κάμινον*
468 *Πελλήνην*
488 *Ἴλιον*
504 *Δολόπων*
505 *Αἰνῆος φίλος υἱὸς*
506 *Εὐδώρου θυγατὴρ Αἰνίππη*
525 *αὖ νέον*
602 *Κλείνην*
610 *ὥς κε*
671 *τὸ μέγα ἄστυ*

[32]) G. Hermannus lacunae signa posuit etiam post u. 1273; quo loco de lacuna ne cogitari quidem posse in capite II huius dissertationis demonstrabo.

676 ἑλὼν
723 ὑπέδεκτο, quod in hunc uersum ex uersu praecedenti irrepsisse uidetur.
726 Ἀμπυκίδην Ἴδμωνα
729 θῖνα
741 νέρθεν
742 δέ μιν σκύρης βοιατίδος ἄψεα κεῖται
754 Ἀραξῶν
773 ἤ μιν
813 Αἰήτης Μινύαι τε
920 θεοειδής
925 κάλπασον
945 τε δαεὶς φησι
964 πνίκον
1048 Γυμνοί Βουνόμαι τε καὶ Ἄρκυες
1064 βαθυάγρων
1167 ἐπεὶ νῦν αἰεὶ
1172 εἰ μή τ'ἄρ
1217 σφε
1256 ἐπέσχομεν, quod haud dubie debetur librario oculis ad uersum sequentem aberranti.
1287 Λυκτονίην
1366 Κραναὴν

Sed nolumus cumulare exempla; quae attulimus satis superque docent codices L R U S M 1 et 2 ex uno et eodem fonte, quem Ω littera significabo, esse deriuatos. Neque illud obstare uidetur, quod in his libris nonnulla uerae discrepantiae exempla reperiuntur. Qua de re plura dicemus postea.


At habeo, quae addam de origine codicum, e quibus familia Φ constat. R et S Fridericus Schubert[33]) demonstrauit pro se utrumque[34]) originem traxisse ex eodem libro x iam non super-

[33]) Cf. Sitzungsberichte der hist.-phil. Klasse der kaiserl. Akad. der Wiss. zu Wien 1881 uol. XCVIII tom. 2 pag. 457.

[34]) Codices R et S non alium ex alio manasse ostendi post Fridericum Schubert.

stite, qui et ipse ex codice *Ω* manauisset. Et illud potissimum erat, quamobrem ita indicaret Schubertus, quod uersus 302 post uersum 304 non repetitur nisi in codicibus R et S.[35]) Quod grauissimum neque casu quodam factum uidetur, praesertim cum illi codices inter se magis congruant quam cum ceteris sui generis libris: de pronomine *οἱ* S cum R prorsus consentit, nisi quod uersus 839, ubi hic *οἱ* exhibet, in illo deest;[36]) uersu 1206 uterque codex *οἱ* uel *γέ* omittunt — L habet *οἱ*, U A P F *γέ* — et alia summi consensus exempla sunt.

Similes causae sunt, cur codices L M 1 et 2 non ex ipso codice *Ω*, sed e libro y inde deriuato pro se quemque descriptos esse putem. Uersus 291 enim in solis codicibus L et M 2 praetermittitur; quod fortuito accidisse aegre nobis persuademus. Accedit, quod hi libri inter se fere consentientes non pauca habent, quae ipsis propria uideantur, ueluti u. 12 *φάους*(?), u. 195 *νύμφη Βάκχῳ*, u. 220 *θεῖον κλυτοῦ*, u. 250 *ἔπειτα*, u. 266 *Φᾶσιν*; quae lectiones in solis codicibus L M 1 et 2 sunt, in ceteris legimus *χάους*, *Βάκχῳ νύμφη*, *θεῖον κλυτῇ*, *ἔμοιγε*, *πᾶσιν*.



[35]) Quorum alter (R) uersu 302 habet:
πεντήκοντ' ἐρετμαῖσιν ἀνὰ κρατερήν τε καὶ ὑγρήν.
post u. 304 *πιντήκοντ' ἐρετμαῖσιν ἀνὰ τραφερήν τε καὶ ὑγρήν.*
Alter (S) utroque loco eadem praebet:
πεντήκοντ' ἐρέτησιν ἀνὰ τραφερήν τε καὶ ὑγρήν.

[36]) Uersus 780—840 legebantur in codicis S folio quod excidit.

Denique codex U utrum ex ipso codice Ω an circuitu quodam inde fluxerit, decernere nolim. Id uero luce clarius est non manasse eum ex libro x uel y.

Neque difficile est cognitu, quomodo orta sit omnis codicum L M 1 et 2 R S U dissensio. Eorum qui scripserunt est quidem aliqua culpa: multae discrepantiae, quae sunt inter illos libros manuscriptos, describendi incuriae, nonnullae singulorum librariorum studio emendandi debentur. Nonnullae uidentur e codicis Ω misera condicione natae esse. Sed attentius si inquisiueris, intelleges esse quasdam discrepantias, quae hoc modo explicari nequeant. Neque inepte mihi suspicari uideor librum, unde classis Φ manauerit, Ω manum emendatricem expertum esse uarietatemque lectionis nonnunquam in margine uel inter lineas habuisse adnotatam[37]), et qui Argonautica inde descripserunt, modo integram aut uariam lectionem, modo utramque receperunt in libros suos. Quam rem exemplis firmare et illustrare conabor:

[37]) Duplici autem ratione codices corrigi solebant aut ad exemplum alterius qui melior uidebatur, aut ita, ut corrector pro suo ingenio mutaret quod uitiosum et facile ad emendandum esset. Et e genere coniecturali fuisse uidentur emendationes a correctore codicis Ω suprascriptae uel margini adscriptae.

uss.	codex Ω habuit	ex Ω in x manauit	ex x in R	ex x in S
18	Γιγάντων Γηγενέων	Γιγάντων	Γιγάντων	Γιγάντων
31	νυκτὸς et μητρὸς	νυκτὸς et μητρὸς	νυκτὸς	μητρὸς
235	μέγα πόθεεν δέ τοι ἔργον	πόθεεν δέ τοι ἔργον	πόθεεν δέ τοι ἔργον	πόθεεν δ' ἔτοι ἔργο
250	ἔπειτα[39] αὐτὰρ ἔμοιγε	αὐτὰρ ἔμοιγε	αὐτὰρ ἔμοιγε	αὐτὰρ ἔμοιγε
253	περὶ et μετὰ	περὶ et μετὰ	μετὰ	περὶ
276	αὐτόθι et ἀγχόθι	αὐτόθι	αὐτόθι	αὐτόθι
300	δή ὥς ῥά	δή ὥς ῥά	ὡς δή	ὥς ῥά
311	κομίσαι πορσῦναι	κομίσαι πορσῦναι	πορσῦναι	κομίσαι
314	πολλὰ πέπλα	πολλὰ πέπλα	πολλὰ	πέπλα
390	εὖ μὲν et εὖ καὶ[40]	εὖ καὶ	εὖ καὶ	εὖ καὶ
500	ἀήταις et ἀέλλαις	ἀήταις et ἀέλλαις	ἀέλλαις	ἀήταις
521	ὀρίνοντες ὁρμαίνοντες	ὀρίνοντες ὁρμαίνοντες	ὁρμαίνοντες	ὀρίνοντες
574	κατεκίαθον μετεκίαθον	μετεκίαθον	μετεκίαθον	μετεκίαθον
610	τανυφλοίου τανυφύλλου	τανυφλοίου τανυφύλλου	τανυφύλλου	τανυφλοίου
650	ἀντίθεον ἠΐθεον	ἀντίθεον ἠΐθεον	ἠΐθεον[41]	ἀντίθεον
671	πλατείῃ βαθείῃ	πλατείῃ	πλατείῃ	πλατείῃ
710	αὐδήν et ὀμφήν	αὐδήν et ὀμφήν	αὐδήν	ὀμφήν
751	ἐστὶ αἰπὺ	ἐστὶ	ἐστὶ	ἐστὶ
898	μῆκος et ἕρκος	μῆκος et ἕρκος	ἕρκος	μῆκος
1087	λυγρὸν αἰπὺν	λυγρὸν αἰπὺν	λυγρὸν	αἰπὺν
1141	ἀμφὶ ἔνθα	ἀμφὶ	ἀμφὶ	ἀμφὶ
1253	ἐχαράξαμεν ἐχαράσσομεν	ἐχαράξαμεν ἐχαράσσομεν	ἐχαράσσομεν	ἐχαράξαμεν
1301	ἐξικόμεθα ἐξίκετο	ἐξικόμεθα ἐξίκετο	ἐξίκετο	ἐξικόμεθα
1377	ἐπ' Ἰωλκὸν Ἰαωλκὸν	ἐπ' Ἰωλκὸν Ἰαωλκὸν	ἐπ' Ἰωλκὸν	Ἰαωλκὸν[41]

[38]) Altera lectio in ipso uerborum contextu est, altera margini est adscript sed nescio utrum haec ab eadem manu scripta sit atque illa.

[39]) Nescio an illud [αὐτὰρ] ἔπειτα, quod ex uersu 239 sumptum uidet tribuendum sit librario codicis y.

ex Ω in y	ex y in L	ex y in M 1 M 2	ex Ω in U
ηγενέων	Γηγενέων	Γηγενέων	[38) Γιγάντων et Γηγενέων
τρὸς	μητρὸς	μητρὸς	νυκτὸς
μέγα θεεν δέ τοι ἔργον	πόθεεν μέγα ἔργον	πόθεεν δέ τοι ἔγρον	πόθεεν μέγα ἔργον
ἔπειτα τὰρ ἔμοιγε	[38) αὐτὰρ ἔπειτα et ἔμοιγε	αὐτὰρ ἔπειτα	αὐτὰρ ἔμοιγε
ρὶ et μετὰ	περὶ et μετὰ [38])	μετὰ	μετὰ
τόθι et ἀγχόθι	αὐτόθι	ἀγχόθι	ἀγχόθι
ς ῥά	ὥς ῥά	ὥς ῥά	ὡς δή
μίσαι	κομίσαι	—	ποροῦναι
ολλὰ	πολλὰ	—	πέπλα
μὲν	εὖ μὲν	—	εὖ μὲν
λλαις	ἀέλλαις	—	ἀήταις
ρίνοντες	ὀρίνοντες	—	ὁρμαίνοντες
κατεκίαθον ετεκίαθον	μετεκίαθον et κατε-[κίαθον [38])	—	κατεκίαθον
ανυφύλλου	τανυφύλλου	—	τανυφλοίου
ντίθεον	ἀντίθεον	–	ἀντίθεον
αθείη	βαθείη [41])	—	πλατείη
μφήν	ὀμφήν	—	αὐδήν
ιπὺ	αἰπὺ [41])	—	ἐστὶ
ῆκος	μῆκος	—	ἕρκος
λυργὸν ιπὺν	ἐπὺν et λυγρὸν [42])	—	λυγρὸν
θα	ἔνθα [41])	—	ἀμφὶ
αράσσομεν	ἐχαράσσομεν	—	ἐχαράξαμεν
ικόμεθα	ἐξικόμεθα	—	ἐξίκετο
' Ἰωλκὸν	ἐπ' Ἰωλκὸν	—	ἐπ' Ἰωλκὸν.

[40]) Fortasse *καὶ* debetur ei qui codicem x exarauit.

[41]) Has lectiones probabiles librarii ingénio tribuere nolim, sed suspicor fuisse iam in archetypo Ω.

[42]) Hae lectiones, quarum altera *ἐπὺν* (=*αἰπὺν*) in ipso textu, altera *λυγρὸν* in rgine est, ab eadem manu scriptae sunt.

His positis nihil est, cur miremur, quod codex S a R, quocum ex uno et eodem libro x descriptus est, discrepans nunc (uss. 283, 311, 521, 710, 898, 1087) cum L, nunc (uss. 314, 500, 610, 1253) cum U facit, atque M 1 et 2 ex y profecti uersu 235 cum R et S stant contra L, qui idem exhibet quod U. Quod quomodo fieri potuerit, patet.

Uersibus 671, 751, 1141 integra codicis Ω scriptura eaque haud dubie uera in solum L immigrauit, uersu 650 in solum R, uersu 1377 in solum S, quibus locis ceteri libri in falsa lectione consentiunt, quam a correctore codicis Ω originem accepisse putem.

Singulis autem locis, ubi codex Ω duplicem praebuisse uidetur lectionem, codices inde profecti, ut par est, in duas partes discedere solent.

Et licebit profecto codicum L M 1 et 2 R S U ope propius accedere ad formam eius codicis, unde illi tanquam e fonte communi per uarios riuulos deriuati sunt. Quin etiam quid codex Ω in ipso uerborum contextu, quid in margine uel inter lineas scriptum habuerit, plerumque euinci potest.

Iam transeamus ad alteram familiam Ψ, qua comprehendimus codices A P F, qui maxime inter se congruunt. Uarietates, quae inter eos sunt, eiusmodi sunt, ut facile singulis librariis tribui queant. Adde, quod hi codices illud *oἰ*, de quo supra disserui, saepius (uss. 285, 293, 396, 532. 536, 678, 737, 764, 776, 778, 839, 841, 892, 1029? 1031, 1038, 1107, 1206, 1214, 1252) uno consensu mutatum habent et tres omittunt uersus (51, 96, 1285), qui in ceteris leguntur. — Propter hanc insignem similitudinem Guilelmus Wiel in Obseruationum Parte I pag 5/6 codices A P F alium ex alio originem duxisse contendit, A autem et P ex F deriuatos esse suspicatus est, quoniam hic saepius quam illi aut uerum exhiberet aut propius a uero abesset. Quod probatum mihi esset, nisi graue quid obstaret.

Ac primum codex A in ipsis uerbis ita interdum a P dissidet, ut ex hoc illum fluxisse parum sit probabile, ueluti uersu 1252, ubi A uerum illud *ἀντολίαισιν* offert, P praebet lectionem pror-

sus corruptam γὰρ πολίαισιν. Deinde uero F non ex P esse descriptum apparet ex uersu 1217, ubi a P omissum εἰ habet F. Rursus P F non profecti sunt ex A. Nam in solo A deest uersus 922


μανδραγόρης, πόλιόν τ', ἐπὶ δὲ ψαφαρὸν δίκταμνον.

et codices P F uersibus 166 et 1220 εἰς et γὰρ exhibent, quae uerba in A desiderantur. Denique A P ex F non orti uidentur, quoniam uersu 163 proprium habet hic αὖ τί' ἔξοχα, u. 965 ἄσχουσαν, u. 970 βάραθρα, u. 1137 εἶδος, u. 1139 οἶσι καρπὸς, u. 1167 νώνυμον, cum recte illi αὖ τίεν ἔξοχα, ἄγχουσαν, βερέθρου, ὕδος, οἷσί τε καρπὸς, νώνυμνον[43]). Quae cum ita sint, tantum abest, ut codices A P F alium ex alio originem traxisse concedam, ut pro se quemque ex uno et eodem libro z fluxisse uelim.

Codex z qualis fuerit, facile intellegitur ex codicibus inde deriuatis, qui prorsus inter se consentientes fere illius instar sunt. Et apparet ex summo codicum A P F consensu codicem z perspicue scriptum fuisse, neque uarietatem lectionis habuisse adnotatam.

Sunt autem uitia uel apertissima codicibus A P F cum L M 1 et 2 R S U communia. Huc referendae sunt imprimis lacunae, quae in omnibus libris inueniuntur post uersus 93, 224, 603, 1069, 1092, 1234, 1324. Porro animum attenderis uelim ad uersus 72, 105, 139, 151, 180, 190, 262, 305, 362, 445, 462, 464, 468, 488, 504, 505, 506, 525, 602, 676, 723, 726, 754, 813, 1167, 1256, 1287, 1366, ubi eaedem lectiones peruersae iidemque errores in utraque familia reperiuntur. — Quodsi conicias codicem z (= A P F) originem habere ex eodem libro Ω, ex quo codices L M 1 et 2 R S U manasse putamus, nihil obloquor, dummodo ne A P F ex ipso Ω descriptos esse censeas.

[43]) Adde, quod parum uerisimile est codicem A in Graecia inuentum fluxisse ex F Pataui a. 1488 scripto.



Ex hoc igitur codice prisco et primario lacunis et aliis uitiis deformato quattuor libri descripti sunt, e quibus fortasse unus, U, ad nostra tempora peruenit, ceteri (x y z) perierunt, at stirpem ex se reliquerunt; atque patet eos quos enumeraui, codices superstites per uarios riuulos ex uno omnes esse deriuatos, quamobrem in manifestis mendis saepe eos consentientes deprehendimus, ubi codex primarius iam erat corruptus.

Sequitur, ut exponam, quomodo nata sit codicum A P F haud mediocris cum L M 1 et 2 R S U dissensio; qua adductus sum, ut statuerem duo codicum Orphei Argonautica continentium genera esse, quorum alteri L M 1 et 2 R S U, alteri A P F attribuendi essent. Discrepantiae, quae sunt inter haec genera e communi fonte deriuata, magnam partem positae sunt in solo errore eius qui ex archetypo codicem z descripsit, unde A P F profecti sunt; sed permultae eaeque grauissimae istius librarii z studio emendandi uel mutandi originem debere uidentur. Nam lectiones codicum A P F propriae, quae prorsus ab imagine archetypi ex codicibus L M 1 et 2 R S U reficta discrepant neque casu quodam nasci potuerunt, tribuendae sunt, ut suspicor, coniecturae eius qui codicem z exarauit, ueluti illud *ἄρα* u. 285, illud *δή* u. 293, aliud aliis locis, ubi codices L R sociique de uera lectione *οἱ* consentiunt. Quae lectiones omnes eae sunt, quae a librario eoque parum graece docto originem accepisse uideantur.

	Ex consensu codicum L M 1 et 2 R S U, qui per uarios riuulos ex archetypo fluxerunt, recte colligitur in hoc libro *Ω* fuisse scripturas has:	quas librarius z mutauit in:
u. 88	*θέσφατον*	*θέσκελον*
u. 285	*ὅντινά οἱ*	*ὅντιν' ἄρα*
u. 293	*οἱ*	*δὴ*
u. 396	*οἱ κεκλιμένος*	*προκεκλιμένος*
u. 435	*ἕστατο*	*ἕστευτο*
u. 459	*ὑπεὶρ*	*ἐπί ῥ'*
u. 467	*δενδρώδεα κάμνον,* quod ex *δενδρώδε' ἵκανον* natum esse sentit I. G. Schneider (*δενδρώδεα κάνον, δενδρώδεα κάμνον*).	*δενδρώδεα κάμψαν,* quod G. Hermannus recepit, uitiosum putat I. G. Schneider, quia Argonautae Samothracen non sint praeteruecti, sed in eam insulam egressi. Et recte monuit Schneider leni mutatione scribendum esse *δενδρώδε' ἵκανον. κάμψαν* debetur librario codicis z, quem archetypi lectio corrupta *κάμνον* offendebat.
u 610	*ὧς κε*	*ὅς γε*
u. 656	*ἐφημοσύνῃσι πίθοντο·*	*ἐφημοσύναις ἐπίθοντο*
u. 671	*τὸ μέγα ἄστυ*	*μέγα ἄστυ* articulo haud dubie metri causa deleto.
u. 678	*δέ οἱ*	*δ' ἄρα*
u. 741	*νέρθεν*	*νέρθε δ'*
u. 742	*δέ μισκύρης* uel *δέ μιν σκύρης*	*Θεμισκύρης*
u. 750	*πόντου*	*κόλπου*
u. 751	*εὐθαλέα*	*εὐθαλὴς*
u. 764	*αὐτίκα οἱ*	*αὐτίκ' ἄρα*
u. 773	*ἢ μιν*	*ἠέ γ'*
u. 776	*οἱ*	*γὰρ*
u. 778	*οἱ*	*δὴ*
u. 839	*οἱ*	*δὴ*
u. 841	*οἱ*	*μὴν*
u. 945	*τε δαεὶς φησι*	*τ' ἐδάη σφῇσιν*
u. 979	*δαϊκτόν*	*δαητόν*
u. 1029	*οἱ*	*ἑ?*
u. 1031	*οἱ*	*τότ'*
u. 1038	*ἀλλά οἱ*	*ἀλλ' ἄρα*
u. 1064	*βαθυάγρων*	*Βαθυχαίτων*

u. 1079	*ἀνδροφάγους*	*ἀνδροφόνους*
u. 1172	*εἰ μή τ' ἄρ*	*εἰ μὴ γὰρ*
u. 1214	*ῥά οἱ*	*τότ' ἄρ'*
u. 1217	*εἴ τίς σφε βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν;* pro *σφε* cum G. Hermannus *σφι* legendum est.	*εἴ τις ἄρ ἀνθρώπων ἀν' ἀπείρονα γαῖαν;* illud *σφε* sine dubio offendebat librarium codicis z.
u. 1228	*δ' ἔσχε* uel simile quid	*δ' ἄμφεσχε*
u. 1231	*ἆ δειλή, τί νυ τοι τοίην Κύπρις*	*ὦ δειλὴ τίνα σοι Κύπρις*
u. 1234	*ὀλέσαντες*, quod uersum 1234 claudit; post quem excidisse uersum recte monuit Ruhnkenius.	*ὀλέσατε*, quod parum aptum est ad sententiam absoluendam.
u. 1243	*καὶ*	*σὺν δὲ*
u. 1262	*αὐτόθι οἱ κάτεχεν*	*αὐτόθι κατέσχεν*?
u. 1263	*ἀναῤῥώσεσθαι*	*ἀναδύσεσθαι*
u. 1283	*ἤειδον δὲ ὕμνον κλάζων διὰ θέσκελον αὐδήν. ἀοιδήν* librarius codicis U scripsit pro *αὐδήν* oculis aberrantibus ad uersum praecedentem qui in *ἀοιδῆς* exit.	*ἤειδον δὲ λιγὺ κλάζων διὰ θέσκελον ὕμνον*
u. 1287	*τύψε Λυκτονίην*	*τύψεν Λυκτονίην, ν* ephelcysticon metri causa additum uidetur, sed *Λυκτονίην* in *Λυκαονίην* mutandum erat.

u. 587	in archetypo haud dubie lacuna unius uerbi erat, quam codices R S U seruauerunt, expleuit librarius codicis L scribens *'Αδήνης*, quod ex uersu 584 sumpsisse uidetur.	Placet emendatio a librario codicis z nobis proposita, qui dedit *Κάστορι*.

Is igitur, qui codicem z exarauit, plus egit quam scriba probus et accuratus. Scribens enim simul leuiores errores (*δεμισκύρης*, *τε δαεὶς φησι, εἰ μή τ' ἄρ*) et uitia, quae in archetypo esse uidebantur, si facile fieri poterat, emendare studuit, in uniuersum tamen textum deprauans magis, quam emendans. — Sic cum res sese habeant, non mirandum est, quod codices A P F ex z profecti haud mediocriter a ceteris discrepant.

Fuisse autem interdum in archetypo *Ω* duplicem lectionem iam e codicibus L M 1 et 2 R S U inde deriuatis demonstraui; quibus locis ei, qui codicem z ex archetypo descripsit, facultas eligendi data erat. Elegit autem ille librarius plerumque lectionem ad intellegendum faciliorem manu correctrice codicis *Ω* additam, quae ex z in A P F immigrauit; neque unquam duplicem archetypi scripturam in librum z receptam esse concluditur ex summo codicum A P F consensu, qui pro se quisque ex z fluxerunt.

	codex *Ω* habuisse uidetur	ex *Ω* in x (=RS) manauit	ex *Ω* in y (=L M 1 et 2)	ex *Ω* in U	ex *Ω* in z (=A P F)
18	*Γιγάντων* *Γηγενέων*	*Γιγάντων*	*Γηγενέων*	*Γιγάντων* et *Γηγενέων*	*Γιγάντων*
31	*νυκτὸς* et *μητρὸς*	*νυκτὸς* (R) et *μητρὸς* (S)	*μητρὸς*	*νυκτὸς*	*νυκτὸς*
235	*μέγα* *πόθεεν δε τοι ἔργον*	*πόθεεν δέ τοι ἔργον*	*ποθ. μέγα ἔρ.* (L) et *ποθ. δέ τοι ἔρ.* (M 2)	*πόθεεν μέγα ἔργον*	*πόθεεν μέγα ἔργον*
250	*ἔπειτα* *αὐτὰρ ἔμοιγε*	*αὐτὰρ ἔμοιγε*	*αὐτὰρ ἔπειτα* et *ἔμοιγε*	*αὐτὰρ ἔμοιγε*	*αὐτὰρ ἔμοιγε*
253	*περὶ* et *μετὰ*	*μετὰ* (R) et *περὶ* (S)	*περὶ* (L) et *μετὰ* (M 2)	*μετὰ*	*μετὰ*
276	*αὐτόθι* et *ἀγχόθι*	*αὐτόθι*	*αὐτόθι* (L) et *ἀγχόθι* (M 2)	*ἀγχόθι*	*αὐτόθι*
300	*δή* *ὥς ῥά*	*ὡς δή* (R) et *ὥς ῥά* (S)	*ὥς ῥά*	*ὡς δή*	*ὡς δή*
311	*κομίσαι* *πορσῦναι*	*πορσῦναι* (R) et *κομίσαι* (S)	*κομίσαι*	*πορσῦναι*	*πορσῦναι*
314	*πολλὰ* *πέπλα*	*πολλὰ* (R) et *πέπλα* (S)	*πολλὰ*	*πέπλα*	*πέπλῳ*
390	*εὖ μὲν* et *εὖ καὶ*	*εὖ καὶ*	*εὖ μὲν*	*εἶ μὲν*	*εὖ μὲν*
500	*ἀήταις* et *ἀέλλαις*	*ἀέλλαις* (R) et *ἀήταις* (S)	*ἀέλλαις*	*ἀήταις*	*ἀήταις*
521	*ὀρίνοντες* *ὁρμαίνοντες*	*ὁρμαίνοντες* (R) et *ὀρίνοντες* (S)	*ὀρίνοντες*	*ὁρμαίνοντες*	*ὁρμαίνοντες*
532	*γε* *οὔ οἱ*	*οὔ οἱ*	*οὔ οἱ*	*οὔ γε*	*οὔ γε*
536	*γε* *γάρ οἱ*	*γάρ οἱ*	*γάρ γε*	*γάρ γε*	*γάρ γε*

	codex Ω habuisse uidetur	ex Ω in x (=RS) manauit	ex Ω in y (=LM1 et 2)	ex Ω in U	ex Ω in z (=APF)
u. 574	*κατεκίαθον* *μετεκίαθον*	*μετεκίαθον*	*μετεκίαθον* et *κατεκίαθον*	*κατεκίαθον*	*κατεκίαθον*
u. 610	*τανυφλοίου* *τανυφύλλου*	*τανυφύλλου* (R) et *τανυφλοίου* (S)	*τανυφύλλου*	*τανυφλοίου*	*τανυφλοίου*
u. 650	*ἀντίθεον* *ἠΐθεον*	*ἠΐθεον* (R) et *ἀντίθεον* (S)	*ἀντίθεον*	*ἀντίθεον*	*ἀντίθεον*
u. 671	*πλατείῃ* *βαθείῃ*	*πλατείῃ*	*βαθείῃ*	*πλατείῃ*	*πλατείῃ*
u. 710	*αὐδήν* et *ὀμφήν*	*αὐδήν* (R) et *ὀμφήν* (S)	*ὀμφήν*	*αὐδήν*	*αὐδήν*
u. 737	*δὴ* *τήν οἱ*	*τήν οἱ*	*τήν οἱ*	*τὴν δὴ*	*τὴν δὴ*
u. 751	*ἐστὶ* *αἰπὺ*	*ἐστὶ*	*αἰπὺ*	*ἐστὶ*	*ἐστὶ*
u. 865	*ἐνιπῇ* *ἐν οἴκῳ*	*ἐν οἴκῳ*	*ἐν οἴκῳ*	*ἐνιπῇ*	*ἐνιπῇ*
u. 892	*τότ' ἄρα* *τότε οἱ*	*τότε οἱ*	*τότε οἱ*	*τότ' ἄρα*	*τότ' ἄρα*
u. 898	*μῆκος* et *ἕρκος*	*ἕρκος* (R) et *μῆκος* (S)	*μῆκος*	*ἕρκος*	*ἕρκος*
u. 1087	*λυγρὸν* *αἰπὺν*	*λυγρὸν* (R) et *αἰπὺν* (S)	*αἰπὺν* et *λυγρὸν*	*λυγρὸν*	*λυγρὸν*
u. 1107	*ἑ* *γάρ οἱ*	*γάρ οἱ*	*γάρ οἱ*	*γάρ ἑ*	*γάρ ἑ*
u. 1141	*ἀμφὶ* *ἔνθα*	*ἀμφὶ*	*ἔνθα*	*ἀμφὶ*	*ἀμφὶ*
u. 1176	*πυκνώθη* *παχνώθη*	*πυκνώθη* (R) et *παχνώθη* (S)	*παχνώθη*	*παχνώθη*	*πυκνώθη*
u. 1206	*γε* *ἀλλά οἱ*	*ἀλλὰ* (*οἱ* uel *γε* omissum est)	*ἀλλά οἱ*	*ἀλλά γε*	*ἀλλά γε*
u. 1253	*ἐχαράξαμεν* *ἐχαράσσομεν*	*ἐχαράσσομεν* (R) et *ἐχαράξαμεν* (S)	*ἐχαράσσομεν*	*ἐχαράξαμεν*	*ἐχαράξαμεν*
u. 1301	*ἐξικόμεθα* *ἐξίκετο*	*ἐξίκετο* (R) et *ἐξικόμεθα* (S)	*ἐξικόμεθα*	*ἐξίκετο*	*ἐξίκετο*
u. 1377	*ἐπ' Ἰωλκὸν* *Ἰαωλκὸν*	*ἐπ' Ἰωλκὸν* (R) et *Ἰαωλκὸν* (S)	*ἐπ' Ἰωλκὸν*	*ἐπ' Ἰωλκὸν*	*ἐπ' Ἰωλκὸν*

Quae exempla si excusseris, non mirum tibi erit, quod libri A P F saepius cum aliis familiae Φ codicibus contra alios faciunt. Quod quotiescunque accidit, codex Ω quem archetypum parentemque omnium, qui exstant, Argonauticorum codicum esse credimus, a manu emendatrice uarietatem lectionis habuisse uidetur in margine uel inter lineas adnotatam.

Uersibus 532, 536, 737, 865, 892, 1107, 1176, 1206, aliis archetypum binas exhibuisse lectiones colligi non potest e solis codicibus classis Φ (= x y U), sed patet in subsidium uocatis libris APF (= z): uersu 532 uerum illud *οἱ*, quod LRS praebent, in archetypo fuisse elucet, et illud *γὰρ*, quod pro *οἱ* e familiae Φ codicibus unus U habet, ei, qui codicem U exarauit, haud dubie tribuendum esset, nisi idem in A P F (= z) exstaret. Quod autem in duobus uel pluribus codicibus legitur, qui pro se quisque ex uno descripti sunt (ueluti x y z U), id iis qui scripserunt non deberi solet, sed iam in fonte fuisse uidetur. Contra quod in uno tantum codice uel in codicibus, qui unius instar sunt (ueluti A P F), inuenitur ceteris obstantibus, id si eiusmodi est, ut a librario facile originem accipere potuerit, librario tribuendum est.

His expositis satis apparet, qualis sit codicum L M 1 et 2 R S U A P F affinitas, simulque, quomodo fieri queat, ut codices ex eodem fonte deriuati haud mediocriter inter se dissentiant.

Et id quoque apparet codices L M 1 et 2 R S U in unum coniunctos formam archetypi multo integriorem exhibere, quam A P F, qui textum Argonauticorum a librario eoque graece parum docto male recensitum praebent. Illi plurimas lectiones ueras nobis offerunt et maxima religione etiam corruptas archetypi lectiones seruauerunt. Neque tamen negari potest quod nemini mirum uidebitur, paucis locis lectionem genuinam non inueniri nisi in codicibus A P F. Quibus locis uerum id, quod isti libri exhibent, eiusmodi est, ut librario codicis z (unde A P F ducti sunt) tribui queat. At si exceperis has paucas lectiones genuinas. quae nisi iam a librario codicis z restitutae essent, hodie facile

codicum L M 1 et 2 R S U ope e coniectura restituerentur, nihil reperies in A P F, quo praestent illis libris manuscriptis[44]).

Inter optimos codices L M 1 et 2 R S U cui imprimis fides habenda sit, decernere nolim: alius alio loco uerum praebet. Id uero obseruaui codicem U saepius quam ceteros generis Φ libros a uero abesse consentientem cum A P F, ubi falsum legi solet. Cf. uss. 532, 737, 865, 892, 1107, 1106.

Codices Argonauticorum hucusque cogniti neque praestantia neque uetustate commendantur; accedit, quod ex uno libro eoque lacunis et aliis uitiis maxime deformato omnes fluxerunt; quam ob causam in grauioribus corruptelis saepissime consentiunt, quibus codex primarius iam erat foedatus. Patet igitur Orphei

[44]) In eundem censum cum codicibus A P F ueniunt editiones ueteres ad Stephanum usque, quippe quae maxime cum illis congruant. Primum autem Argonautica ad unius, ut uidetur, codicis fidem Florentiae anno 1500 impensa Philippi Iuntae biblipolae typis expressa sunt; septendecim annis post, a. 1517, Uenetiis sumptibus Aldi et Andreae soceri foras missa sunt, a. 1519 Florentiae per heredes Iuntae, a. 1523 Basileae in aedibus Andreae Cratandri, a. 1540 Florentiae apud Benedictum Iuntam. Quarum editionum mirus in mendis typographicis (cf. quae Henricus Stephanus ad uersum 424 et Gesner ad uersum 796 adnotauerunt) et aliis uitiis uel apertissimis consensus manifesto docet ex editione principe ceteras omnes siue recto itinere siue quodam circuitu manasse: Philippi Iuntae editionem anno 1500 emissam proximi illi editorés nouis codicibus non adhibitis repetiuisse uidentur raro a coniectura salutem petentes. Editionem Cratandrinam obseruauit Gesner habere aliquoties lectionem uulgata meliorem ex codice, ut putat, potius, quam e coniectura. De quo equidem dubito. Cf. Hambergeri Praefationem ad Orphica Gesneriana ab Hermanno repetitam pag. XXXVI sq. Editionem Aldinam anni 1534, cuius Fabricius-Harless in Bibliothecae Graecae uol. I pag. 150 mentionem facit, nancisci non potui. — Medio saeculo XVI mirifice de Argonauticis meritus est Henricus Stephanus, qui quamuis subsidiis manuscriptis careret, tamen pro ingenio, quo utebatur, acerrimo in Corpore poëtarum graecorum principum heroici carminis anno 1566 Parisiis edito haud paucas, quae in editionibus tum uulgatis erant, lectiones peruersas emendauit. Qui autem annis 1606 et 1689 Argonautica ediderunt, Lectius et Eschenbachius totum fere textum Stephanianum paucis mutatis in libros suos receperunt.

Argonautica e solis codicibus adhuc collatis ad integritatem non posse restitui. Licebit quidem codicum superstitum auxilio prope accedere ad archetypi imaginem; sed quis est, qui lacunas explere audeat, quae iam in archetypo erant; quis est, qui quaecunque in libro illo primario prorsus deprauata erant, sanare queat? — Substitutis emendationibus certis iam multa uitia a uiris doctis sublata sunt, multa fortasse feliciter coniciendo tollentur; sed concedes esse quosdam locos corruptos in Argonauticis, quorum de restitutione omnino spes abicienda sit. — Id uero in emendandis Argonauticis, corruptissimo opere, tenendum erit coniecturas ubicunque opus sint, superstruendas esse codicum optimorum lectioni. Et parum recte fecit G. Hermannus, quod in scribendis nominibus gentium ignotarum interdum codicum A P F auctoritatem secutus est: uersu 1064 aspernandum est quod A P F exhibent, *Βαθυχαίτων,* recipiendum, quod praebent L R S U, *Βαθυάγρων*, nisi scribere malis:

ἠδὲ Γελωνῶν ἔθνος καὶ ἄπλετα φῦλ' Ἀγαθύρσων
Σαυρομάτας τε et qu. sequ.
(*Γελωνῶν* est in L R S U, in ceteris *Γελωνὸν*).

Eaedem gentes commemorantur apud Scymnum Chium uss. 822 sqq. (ed. A. Meinecke 1846):

εὐσημότατον εἶναί φησι δὲ
τὸ Σαυροματῶν καὶ τῶν Γελωνῶν καὶ τρίτον
τὸ τῶν Ἀγαθύρσων ἐπικαλούμενον γένος. . . .

Βαθυάγρων autem propius accedit ad nomen *Ἀγαθύρσων* quam *Βαθυχαίτων.* — Geloni a Gelono, filio Herculis et Echidnae, Agathyrsi ab Agathyrso, Geloni fratre, originem traxisse dicuntur. Cf. Herodotum IV, 10.

Praeter codices supra enumeratos, e quibus quattuor L R S U tanquam fundamentum esse uolumus textus Argonauticorum constituendi, multi per bibliothecas dispersi sunt, qui longe maximam partem nihil fere ualere ad textum emendandum uidentur. Sunt autem hi:

1) codex Uenetus Marcianus 604 chartaceus saeculi XVI.

2) codex Ambrosianus A, 63 ex libris Io. Uinc. Pinellii,

chartaceus saeculi XV, qui praebet Orphei Argonautica et hymnos, Callimachi hymnos. Cf. Schneideri Callimachea uol. I pag. XXXII.

3) codex Ambrosianus B, 98 membranaceus forma quadrata saeculi XV, qui comprehendit Apollonii Argonautica cum scholiis, Homeri Myobatrachomachiam, Herodoti uitam Homeri, Maximi Tyrii Platonici philosophi *πῶς τις ἄλυπος εἴη*, Orphei Argonautica, eiusdem *ἐπηκόους καὶ προβέρπετα* (sic!), Homeri hymnos, breue epigramma *εἰς ξένους* (sic!), Callimachi hymnos. Cf. Schneideri Callimachea uol. I pag. XXXI. Hic liber in Orphei Lithicis quae feruntur omnium, quotquot exstant, codicum praestantissimus est. Cf. istius carminis editionem ab E. Abelio anno 1881 curatam.

4) codex Ambrosianus C, 10 saeculi XV.

5) codex Ambrosianus E, 39 (Abel: E, 32; cf. Philologische Wochenschrift nr. 8 col. 226 [1882]) chartaceus saeculi XV.

6) codex Ambrosianus O, 72 chartaceus saeculi XV.

7) codex Placentinus 6 a. 1437 ab Ioanne Placentio (Giouanni Crastone) scriptus — *χεὶρ τοῦ Ἰοάννου Πλακεντίνου.* —

8) codex Mutinensis 39 (= II B 2; cf. Abel l. c.) chartaceus saeculi XV.

9) codex Mutinensis 114 (= II D 15; cf. Abel l. c.) chartaceus saeculi XV.

10) codex S. Salvat. 2612, Bononiensis chartaceus saeculi XV.

11) codex Laurentianus XXXII, 45 membranaceus saeculi XV in quarto in fine mutilus foliorum 181, qui habet Apollonii Rhodii Argonauticorum libros IV, Orphei Argonautica, eiusdem hymnos ad Musaeum, Homeri hymnos V; (sed ultimus in codice est mutilus; desinit enim in u. 33). Cf. Bandini Catal. Biblioth. Laurent. uol. II pag. 204/5.

12) codex Laurentianus LXX, 35 membranaceus saeculi XV in quarto foliorum 109, qui continet Herodoti enarrationem de Homeri ortu et uita, Gorgiae encomion Helenae, Orphei Argonautica, eiusdem ad Musaeum carmen, hymnos LXXXVI, Procli Lycii philosophi hymnos IV, Homeri hymnos XXXI, Moschi amorem fugitiuum, Distichon in Iouem, Musaei de Herone

et Leandro carmen. Cf. Bandini Catal. Biblioth. Laurent. uol. II pag. 661. Idem Bandinius utrumque codicem Laurentianum in Argonauticis cum editione a Iac. Lectio curata consentire refert[45]).

13) codex Riccardianus 53
14) codex Riccardianus 92
15) codex Barberinus 378 pessime scriptus
} qui a manu recenti exarati sunt.

16) codex Laur. Badiae 2863 bombycinus saeculi XV.

17) codex Uaticanus 34 chartaceus saeculi XV, qui praescriptionem hanc habet: *Ὀρφέως τοῦ μεγάλου Ἀργωναυτικὰ σὺν τισιν ἐξηγήσεσι ῥωμαϊκαῖς μεταξὺ τῶν στίχων,* subscriptionem autem in fine hanc: *Τέλος τοῦ Ἀργοναυτικοῦ.*

18) codex Uaticanus 35 chartaceus saeculi XV exeuntis, cuius margini a recentissima manu adscriptum est: „Simillimus est Augustano 2, quem contulit H“(ermannus). Orphei

---

45) Habeo, quae addam. Zoëga. U. Cl. (1755—1809) in Bibliotheca Laurentiana duos codices Orpheum exhibentes inuenit, quorum alterum suspicor fuisse Laurentianum LXX, 35. Quibus de libris ipse Zoëga ad amicum quendam scripsit haec: „Die beiden Orphischen Handschriften enthalten jede für sich das Argonauticon, die Orphischen Hymnen sammt denen des Proclus (Procli hymni in codice Laurentiano XXXII, 45 non leguntur); aber die eine hat auch die beiden von Iriarte herausgegebenen und theilt ausserdem den Hymnus an die Musen in zwei, und ich glaube dass diese Theilung recht ist. Dieser Codex enthält auch mehr sowohl in den Argonauten als auch in den Hymnen, wie die gedruckten Ausgaben.“ (apparet hunc codicem a Zoëga inspectum alium fuisse atque quem Bandinius cum editione Lectiana, ubi Argonauticorum uss 51, 96, 1285 desunt, congruere affirmat). „Der andere, quem putem Laurentianum LXX, 45 fuisse, hat nichts besonderes und verdient kaum die Mühe der Vergleichung. Beide sind auf Pergament und aus dem 15. oder 16. Jahrhundert.“ Cf. Zoëga's Leben. Sammlung seiner Briefe und Beurtheilung seiner Werke durch Friedrich Gottlieb Welcker (1819), qui vol. II pag. 46 de Zoëgae studiis Orphicis profert haec: „Vorzüglich beschäftigten ihn (Z.) früher die Vorbereitungen einer Ausgabe des Orpheus und der Hymnen des Proclos, wozu er alle Handschriften, die er auf den eben erwähnten Reisen und sonst auftreiben konnte, verglich. Freilich war der Text der Orphischen Gedichte nicht, was ihm am meisten anlag, sondern vielmehr das Innere und Ursprüngliche der Orphischen Lehre.“

Argonauticis ad finem perductis „incipit Leodrisii Argon"(auticon). Hanc uersionem latinam antecedit praefatio ad certam pedum necessitatem alligata, cuius initium fit his uerbis: „I pater" et qu. sequ.

19) codex Uaticanus 36 chartaceus in folio minore saeculi XV, qui continet foliis 225 uersibus 23 in singulis paginis Apollonii Argonautica cum scholiis, Orphei Argonautica et hymnos, Callimachi hymnos. Cf. Schneideri Callimachea uol. I pag. XXIX.

20) codex Uaticanus 37 chartaceus saeculi XV.

21) codex Uaticanus Ottobonianus 823 chartaceus saeculi XV exeuntis, qui antequam ad Ottobonum Cardinalem peruenit, erat inter libros ducis Altems. Graecum carmen de Argonauticis compositum excipit uersio latina (pag. 126—158), cuius praescriptio haec est: „Orphei magni poëtae Argonauticon a Leodrysio Cribello latinis metris expressum. „Subsequuntur continuo Leodrysii Cribelli scripta minora, carmen in Thermas factum, alia.

22) codex Uaticanus 1406.

23) codex Uaticanus 1384.

24) codex Neapolitanus II F 8 saeculo XVI pessime scriptus.

25) codex Parisinus in supplemento catalogi inter libros manuscriptos graecos notatus 32, quem exarauit Angelus Uergetius.

26) codex Salmanticensis I—2—9 chartaceus saeculi XV uel XVI.

27) codex Matritensis N 24, quem ita descripsit Iriarte inter regiae bibliothecae Matritensis codices graecos pag. 86: „chartaceus in folii modum foliis constans 136 densiore charta atque optime leuigata, totus Constantini Lascaris manu descriptus, maximam uero partem nitidissime idque Mediolani anno 1464[46]).

[46]) In folio 100 auerso legimus: *κτῆμα Κωνσταντίνου τοῦ Λασκάρεως ἐν Μεδιολάνῳ ὑπ' αὐτοῦ ἐκγραφέν· ͵αυξδ* (i. e. anno 1464). Adiungam quae de studiis suis Orphicis ipse Lascaris dixit, qui unus ex omnibus grammaticis saepe Orphei auctoritate utitur, ut par est admiratorem carminis, quod a se primo e situ et tenebris in lucem esse protractum praedicat: *τὰ Ἀργοναυτικὰ τοῦ σοφοῦ Ὀρφέως, ἃ δὴ πάλαι καταμεληθέντα μόλις ποτὲ αὐτὸς ἐν Μεδιολάνῳ εὑρὼν σεσηπότα ἐκγράψας τε καὶ τοῖς ἄλλοις μεταδοὺς δημοσίως ἀναγινώσκω πολλῶν καὶ λογίων νέων φοιτώντων· καὶ νῦν ἐς τὰ ἔσχατα τῶν δυστυχῶν Ἑλλήνων ἀνεβίω ὁ ἠγνοημένος ἐκεῖνος Ὀρφεύς* (cf.

Isque praecipue continet Musaei de Herone et Leandro carmen, Orphei Argonautica et hymnos, item hymnos Homeri et Callimachi, ueterum denique epigrammatum Collectanea."

28) codex Matritensis N 27 chartaceus saeculi XV, de quo Iriarte: „totus liber latinis glossis nigri coloris interscriptis, graecis uero annotatiunculis manu ad singulos fere margines adscriptis illustratur."

29) codex Ashburnhamensis L 1198 membranaceus saeculi XV.

30) codex Asburnhamensis L 1443 membranaceus saeculi XV.

31) codex Harleianus 1752.

Hi codices, de quibus a Riccardo Foerster certior factus sum, qui cum Italiam Britanniam Galliam Hispaniam peragraret, eos inspexit, non omnes toti ab eo uiro docto sunt collati, sed pars eorum est singulis tantum locis inspecta. Id uero affirmari posse ego credo illos libros manuscriptos ad crisin Orphei Argonauticis adhibendam post L R S U inutiles fere omnes esse; et idem affirmat E. Abel dicens: „Wenigstens habe ich in den Bibliotheken zu Venedig, Ferrara, Bologna, Modena, Brescia, Mantua, Florenz, Rom, Neapel, Paris,

---

Lascar. grammatic. pag. 76 auersa ed. Uenet. 1512 coll. Herm. praef. Dracon. pag. XVI); et alio loco: *Τὰ δὲ τοῦ Ὀρφέως* (de Argonauticis autem loquitur) *διὰ τὴν πολυετίαν καὶ τὴν δυστυχίαν γένους τοσοῦτον ἠφάνισται, ὥστε μόλις εὑρίσκεσθαι ὀλίγα τινὰ, καὶ ταῦτα διεφθαρμένα καὶ ἀνεξήγητα. Ταῦτα γὰρ ἐν τῇ πόλει τῷ Μεδιολάνῳ εὗρον, ἔγραψά τε, καὶ τοῖς ἄλλοις κοινωνήσας καὶ διδάξας, οὐδὲ δύναμαι εὑρεῖν, οἷς παρόντα διορθώσαιμι ἐν πολλοῖς ἀμφίβολα ὄντα* (cf. Hambergeri praefat. ab Hermanno repetitam pag. XXXIV sq.).

Apparet Lascarem Argonautica Mediolani ab ipso reperta a. 1464 sua manu descripsisse, descripta publice interpretatum esse. At nihil est, cur credamus, quod fuerunt qui contenderent, illum uirum doctum hoc opus sculum Orphicum et recensuisse et typis exprimendum curasse. Nam adhuc nusquam gentium exemplum talis editionis inuentum est; neque ulla textus recogniti uestigia sunt in codice quem Lascaris scripsit, Matritensi N 24. Cujus in margine notata sunt nomina propria et scholia breuissima, etiam inter lineas scholia breuissima reperiuntur: nihil aliud. Uariae scripturae in hoc codice non leguntur, sed sunt prorsus eaedem, quae in codice Placentino 6 ante illud tempus, a. 1437, scripto et in ceteris peioris familiae libris. Curaturum fuisse Lascarem Argonauticorum editionem nescio an concedam, at non curauit, neque habuit, unde emendaret uitia quae in hoc carmine inesse uidebantur.

London, Oxford, Leyden, Heidelberg, München und Wien keine Handschrift der Argonautika gefunden, aus welcher sich für unseren Text viel mehr Gewinn, als aus einer gewissenhaften Kollation des Ruhnk, Voss. und Vind. ergeben würde"[47]).

Exstant praeterea codices Orphei Argonautica continentes hi:

32) codex Lugdunensis nr. 74 C saeculi XV.

33) codex Lugdunensis nr. 74 H saeculi XVII[48]).

34) codex Parisinus 2678.

35) codex Uenetus Marcianus 480 membranaceus saeculi XV formae maximae foliorum 442. Fuit olim Bessarionis Cardinalis ab Ioanne Rhoso scriptus; nam eius manum esse, cui similem iudicauerat Bekker praef. Arat. pag. IV, affirmat Studemund. Cf. Schneideri Callimachea uol. I pag. XXIX/XXX.

36) codex Uenetus 509. Cf. Zanetti-Bongiouanni Catal. pag. 273.

37) codex Ambrosianus H, 18.

38) codex Urbinas 145 in Uaticana chartaceus saeculi XV exeuntis. Cf. Schneideri Callimachea uol. I pag. XXIX.

39) codex Uaticanus 1691 membranaceus in folio minore saeculi XV. Cf. Schneideri Callimachea vol. I pag. XXIX.

40) codex Palatinus, nunc Uaticanus 139. Cf. Sylburgi Catal. MS graec. Bibl. Palat. pag. 43.

41) codex Palatinus, nunc Uaticanus 179. Cf. Sylburgi Catal. Bibl. Pal. pag. 53

Inter hos Argonauticorum libros manuscriptos (1—41) Marcianum 480, Mutinensem II B 2, Mutinensem II D 15, Ambrosianum E 32 (= E, 39?), Neapolitanum II F 8 eiusdem generis ac LRU esse refert E. Abel[49]). Et eiusdem generis esse uidetur Ambrosianus H 18, quippe qui uersus 51, 96, 1285 exhibeat et uersu 431 *ἔσατο* (= *ἔστατο*), uersu 1076 *ἀγνήνεα* det[50]); quae lectiones non reperiuntur nisi in codicibus melioris classis.

[47]) Haec leguntur in Nr. 8 der Philolog. Wochenschrift col. 228 (1882).

[48]) Hos codices Lugduni Batauorum asseruari per litteras me docuit Guil. Nic. du Rieu.

[49]) Cf. Philolog. Wochenschrift Nr. 8 col. 226 (1882).

[50]) Cf. Amad. Peyronis Notitiam librorum manu typisue descriptorum,

Post renatas litteras quod Orphei nomen prae se fert, carmen de Argonauticis compositum in lucem prolatum est ab Ioanne Aurispa et Francisco Philelpho, quorum alter cupiditate graece discendi incitatus Constantinopolim se contulit, alter ab Uenetis ad praefecturam Constantinopolitanam secretarius missus est[51]). Ille natione Siculus cum anno 1423[52]) in Italiam reuerteretur, Uenetias aduexit magnam codicum copiam, inter quos etiam Orphei Argonautica fuerunt. Ponam uero ea, quae Aurispa de his quos e Graecia attulerat libris per litteras a. d. VI Kal. Sept. 1423[53]) datas ad Ambrosium Trauersari, monachum Camaldulensem rettulit: „Gentilium Auctorum uolumina, inquit, Uenetiis habeo ducenta triginta octo, ex quibus aliqua tibi quae rarissime inueniri solent nominatim dicam. Nam nec omnia memoria habeo, et si maxime recordarer, longum esset omnia dinumerare: Argonautica Orphei et eiusdem auctoris tria (?) alia opuscula et hymnos, Callimachum, quam plurimas Pindari odas, Laudes deorum Homeri, non paruum opus, Oppianum de uenatione, item de naturis piscium, — sed id rarum non est, — Phocylidem, καϑαρμοὺς Ἐμπεδοκλέους, Aristarchum super Iliade in duobus uoluminibus, Naucratici cuiusdam Atheniensis (!) uolumen quoddam maximum nec adhuc finitum de coenis.“

Paucis annis postquam Aurispa in Italiam rediit, etiam Franciscus Philelphus Tolentinas codicem Orphei Argonautica continentem in patriam secum adduxit. Hic uir clarissimus in illo, quem supra commemoraui, magistratu Constantinopoli-

qui donante Ab. Thoma Ualperga Calusio U. Cl. illati sunt in Reg. Taurinensis Athenaei bibliothecam, pag. 68/69.

51) Cf. Philelphi epistulam Kal. Aug. 1465 ad Leodrisium Cribellum datam. Philelphi epistulae obseruato annorum ordine deinceps collectae editaeque sunt. Equidem utor editione anni 1502 Uenetiana, qua meliorem non inueneris. Cf. etiam G. Voigt Wiederbelebung des klass. Alterthums vol. I pag. 251².

52) Cf. Voigt, Wiederbelebung, uol. I. pag. 266/67 not. 1, 348.

53) Uide epistulas Ambrosii Trauersari (ed. Mehus Florentiae a. 1759) lib. XXIV, 53 (896) pag. 1026. Quo anno hae litterae datae sint, non constat, sed recte Voigt Wiederbelebung vol. I pag. 350 not. 2 statuit anno 1423 assignandas eas esse.

tano per duos annos uersatus cum per reliquos quinque annos apud Ioannem Palaeologum Imperatorem moratus esset[54]), anno 1427 a. d. VI Id. Oct. in Italiam reuertit, redux Uenetiis docere coepit. Inde ut discederet, pestilentia quae gravi clade in ciues incessit, coactus Bononiam petiit[55]). Per epistulam hac ex urbe Idibus Quint. 1428 missam[56]), quos codices ex Graecia profugus in patriam attulisset, eundem, cuius feci mentionem, Trauersarium certiorem fecit. Scripsit autem haec: „Qui mihi in Italiam gesti sunt, horum (codicum) nomina ad te scribo, alios autem nonnullos per primas ex Byzantio Uenetorum naues opperior. Hi autem sunt: Plotinus Aelianus Aristides, Dionysius Halicarnasseus, Strabo Geographus, Hermogenes, Aristotelis Rhetorice, Dionysius Halicarnasseus de numeris et de characteribus, Thucydides, Plutarchi Moralia, Proclus in Platonem, Philo Iudaeus, Herodotus, Dio Chrysostomus, Apollonius Pergaeus, Ethica Aristotelis, eius magna Moralia et Eudemia et Oeconomica et Politica, quaedam Theophrasti opuscula, Homeri Ilias et Odyssea, Philostratus de uita Appollonii, orationes Libanii et aliqui sermones Luciani, Pindarus, Aratus, Euripidis Tragoediae septem, Theocritus, Hesiodus, Suidas; Phalaridis Hippocratis Platonis et multorum ex ueteribus Philosophis Epistulae, Demosthenis, Aeschinis orationes et Epistulae, pleraque Xenophontis opera, una Lysiae oratio, Orphei Argonautica et hymni, Callimachus, Aristotelis de historiis Animalium, Physica et Metaphysica et de Anima, de Partibus Animalium et alia quaedam, Polybius, nonnulli sermones Chrysostomi, Dionysiaca et alii Poëtae plurimi. Habes qui mihi sint, et his utere aeque ac tuis. Tempora mihi lecturae ut absoluam, iam prope in porta est."

---

[54]) Cf. Philelphi epist. Kal. Aug. 1465 ad Leodr. Cribellum datam.

[55]) Cf. Philelphi epistulas X Kal. Ian. [1227] ad Aurispam, III. id. Febr. 1428 ad Barbarum, Kal. Aug. 1465 ad Leodrisium Cribellum datas.

[56]) Quam edidit Mehus inter epist. Ambrosii Trauers. lib. XXIV, ep. 32 (875), pag. 1010. Quo anno haec epistula scripta sit, non indicatur, sed concluditur.

CAPUT II.

DE ARGONAUTICORUM UERSIONE QUAM FECIT LATINIS UERSIBUS LEODRISIUS CRIBELLUS MEDIOLANENSIS.

Summa cum diligentia Godofredus Hermannus illustrissimus ille Orphicorum editor in unum conferre studuit, quaecunque ad ea spectantia digna uidebantur, quorum fieret mentio. Ita factum est, ut foras daret etiam Argonauticorum uersionem latinam, quam Cribello cuidam Mediolanensi debemus. De qua qui adhuc fuerunt, uiri docti non satis accurate uidentur quaesiuisse. Guilelmus Wiel in Obseruationibus quas anno 1866 scripsit in Orphei Argonautica de origine illius uersionis et aetate quidquam in promptu esse negat nisi quae de ea narrauerit Hamberger, qui ad Gesneri mortui editionem Orphicorum praefandi munere functus est[1]). „Uersio latina, inquit Hamberger, ea est, quam adespoton cum suo Ualerio Flacco ediderat Io. Baptista Pius et dedit etiam cum suo Ualerio Pet. Burmannus. Esse eam a Mediolanensium Cribellorum quodam factam docet is qui ad editionem Ualerii Aldinam Uenet. 1523 8 uo uulgatam praefatus est. Hunc Cribellum uiri docti eum habent, qui Leodrisii nomen gerit, de quo uideri potest Argelatus in Bibliotheca SS. Mediol. h. u., quamquam hic uir doctus in eo fallitur, cum ibi ad auctoritatem editionis prouocat et scribit: ‚Leodrisio expresse adscribitur in eadem (Aldina) praefatione a me inspecta.‘ Certe non accurate inspexerit Argelatus, nisi alium librum habuerit, quam ego. In meo sane

---

[1]) Orphica a Gesnero recognita emisit Hamberger Lipsiae a. 1764.

exemplo nullum uestigium Leodrisiani nominis uideo, quin negat auctor, se scire nomen. Ponam ipsa uerba: ‚Adiunximus — Orpheum per Mediolanensium Cribellorum quendam (nomen non habere potuimus) latinum factum‘.[2]) Ante Argelatum de eodem nomine etiam Barthius, Stat. Theb. III, 352 ad auctoritatem Aldi prouocauerat.“ Attamen optimo iure uiri docti Cribellum eum existimauerunt, cui Leodrisio praenomen fuit. Atque Hamberger si modo perlegit quae Barthius[3]) ad Stat. Theb. III 352 annotauit, certe parum diligenter ea perlegisse uidetur. Ad cartas enim magis quam ad Aldum Barthius prouocat[4]) loco citato scribens haec: „Eius Poëmatis (de Orphei Argonauticis autem loquitur) uersio uulgo ignotum auctorem habet, satis tamen concinna, nisi quod nonnullis locis minus auctorem percipit. Habet uero scriptorem Leodrisium Cribellum Mediolanensem, qui cum Francisco Philelpho Oratore et Poëta suorum temporum praecipue claruit. Id constat ex ueteribus cartis quae apud nos sunt, et praefatione Aldi ipsius uel nescio cuius alterius in Ualerium Flaccum editionis Aldinae anni 1523“. — Leodrisio uero Cribello interpretationem illam latinam tribuendam esse intellegitur etiam ex duobus codicibus qui eam exhibent, Uaticanis chartaceis saeculo XV exeunte exaratis; quorum in altero, 35, uersioni hoc praescriptum est: „Incipit Leodrisii Argon“(auticon); uersionem ipsam antecedit eiusdem Leodrisii praefatio metrica, cuius initium fit his uerbis: „I pater“ et qu. sequ., quibus uersibus Leodrisius opus suum Pio II Papae dedicat. In altero codice olim Ottoboniano, nunc Uaticano 823 uersionis praescriptio haec est: „Orphei magni poëtae Argonauticon a Leodrysio Cribello latinis metris expressum.“ Denique

[2]) Eadem legi in duobus Aldinae editionis exemplis, quorum alterum Berolini, alterum Rostochii inspexi, et legit etiam Pet. Burmannus, qui in Ualerii Flacci editione a. 1724 curata fol. LVII praefationem illius editionis antiquae repetit.

[3]) T. Papinii Statii Opera ex rec. et cum animadu. C. Barthii in lucem prodierunt Cygn. a. 1664. uoll. 4 in 4°.

[4]) Hoc iam cognouerunt Pet. Burmannus (Praef. ad Ualerium Flacc. a. 1724 editum fol. XVII) et Fabricius-Harless Bibl. Gr. uol. I pag. 150.

inspexeris uelim Lamii Catalogum codicum manuscriptorum Bibliothecae Riccard. pag. 154[5]), unde apparet Leodrisium Cribellum illam Argonauticorum interpretationem fecisse, factam una cum uersiculis praemissis gratulandi causa ad Pium II summum pontificatum adeptum misisse.

Fecisse autem Cribellum hanc Argonauticorum uersionem libro manuscripto usum uiri docti, Hermannus, Wielius, alii inter se consentiunt. Sic quibus causis commoti iudicarent, non professi sunt; sed cum, a quo Cribello quo tempore illa uersio facta esset non satis constaret, eam quam protulerunt, sententiam paucis firmare debebant. Et id facile ita efficere poterant, ut ex ipsa interpretatione diiudicarent, utrum liber manuscriptus Cribello Argonautica uertenti ante oculos positus fuisset, an editio carminis graeci iam tum in lucem prolata. Utrumque potuisse fieri concedendum iis erat, cum non satis cognitum haberent, quo anno orta esset uersio latina. Quae primum anno 1519 typis expressa est apud Io. Baptistam Pium, qui una cum Ualerio Flacco eam dedit; atque antea iam duae Argonauticorum editiones exstabant, quarum altera, quae est editio princeps et dici solet Florentina emissa erat anno 1500, altera, quae est Aldina, septendecim annis post prodierat. Et eodem anno 1519 illud Orphei opusculum editum est etiam per heredes Iuntae. Nihilosecius probari poterat Cribellum libro manu, non typis expresso usum fuisse. Nam apparet ex ipsa interpretatione tres eum legisse uersus, qui absunt in illis editionibus antiquis. Uertit enim uersus 51, 96, 1285, qui tum non legebantur nisi in libris manuscriptis. Huc accedit, quod interdum Cribellus habuisse uidetur nominum propriorum scripturas ab editionibus illis discrepantes, ueluti u. 24 (Maeli — *Μήχου*) u. 149 (Alaus — *Ταλαὸς*, sed ed. princ. praebet *τ' ἀλαὸς*). Nomina propria autem uerisimillimum est a Cribello ad litteras esse seruata.

---

5) Ut hunc fontem adirem, commotus sum a. G. Voigt (Enea Siluio als Papst Pius II uol. II. pag. 253).

At iam multo prius quam Philippus Iunta Argonauticorum editionem principem curauit, uersio Cribellea exstitit, quam supra dixi gratulandi causa Pio II dedicatam esse, cum ad summos ecclesiae catholicae honores ascendisset; quod factum esse constat anno 1458; octo annis post, a. 1464, Pius diem supremum obiit. — Et qui eam uersionem confecit, Leodrisius Cribellus cum iam anno 1414 natus sit, haud dubie ante primam Argonauticorum editionem emissam e uita discessit[6]). Constat enim ex Philelphi epistula anno 1465 data illum interpretem quinquagesimum secundum aetatis annum tunc egisse[7]).

His expositis commemorandum mihi est uersus 334—7, 349, 448, 691, 822, 967, 1041, 1321 a Cribello Argonautica uertente praetermissos esse uel potius deesse in omnibus uersionis editionibus. Ediderunt autem hanc uersionem deinceps Io. Baptista Pius Bononiae a. 1519 cum Ualerio Flacco, Andreas Cratander Basileae a. 1523 una cum Orphei Argonauticis, Aldus Manutius Uenetiis eodem anno cum Ualerio Flacco, Gryphius Lugduni Batauorum a. 1548 cum Ualerio Flacco, Lectius Aureliae Allobrogum a. 1606 in Corpore Poëtarum Graecorum, Pet. Burmannus Lugduni Batauorum a. 1724 cum Ualerio Flacco, G. Hermannus Lipsiae a. 1805 cum Orphicis. Quae editiones cum prorsus inter se consentiant et manifestae lacunae, quas post uss. 334, 690, 1320 esse demonstrabo, in cunctis inueniantur, haud inepte suspicari uideor ex editione principe anni 1519 ceteras fluxisse; editio Hermanniana autem e Cratandrina anni 1523 uidetur expressa esse[8]). Certe quae Hermannus correxit uss. 4, 304, 326, 652, 1209, 1266, 1289, 1346 typographorum peccata omnia in editione Cratandrina reperiuntur.

[6]) De Leod. Cribelli uita cf. G. Voigt Wiederbelebung uol. I pag. 527[2] et eiusdem uiri docti Enea Siluio uol. II. pag. 253, uol. III pag. 550, 552, 614.

[7]) Cf. Saxii epistulam ad Muratorium datam, quam hic publici iuris fecit in uol. XIX Scriptt. Rer. Italic. col. 625—7.

[8]) G. Hermannus non refert, utrum in edenda uersione Cribelli codicem, an editionem aliquam antiquam secutus sit; editionem Cratandrinam autem a se inspectam esse dicit in Praefat. ad Orphica pag. VII.

Ac primum pauca dicam de uersibus 333—7 Argonauticorum:

δὴ τότ' ἐγὼ πρὸς χεῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης
χεῖρας ἐπαντείνας, τάδ' ἀπὸ γλώσσης ἀγόρευσα·
Ὠκεανοῦ μεδέοντες ἁλικλύστοιό τε πόντου
ἐμβύθιοι μάκαρες, καὶ ὅσοι ψαμαθώδεας ἀκτὰς
ναίεθ' ἁλικροκάλους καὶ Τηθύος ἔσχατον ὕδωρ·

quorum unus in uersione legitur sic:

Extendens tum deinde manus resonantis ad undas,

reliqui omissi sunt. Ille cum incipiat iisdem fere uerbis, quibus incipit uersus graecus 334 (χεῖρας ἐπαντείνας — Extendens tum deinde manus) in istius uersus graeci loco positus est ab eo, qui editionem Cratandrinam curauit, atque ante hunc uersum uacuum spatium unius uersus, post hunc trium intermissum est. Quod male factum esse dicit Hermannus[9]). Assentior. Nam Cribellus eo, qui exstat, uersionis uersu 333[10]) (extendens tum —) et uersum 333 graeci carminis et prius uersus 334 hemistichium latine expressit. At uero miror interpretem ἔμμετρον non uertisse alterum hemistium — τάδ' ἀπὸ γλώσσης ἀγόρευσα, et hoc eo magis miror, quo minus uideo, quid difficultatis in his uerbis insit; neque ullum in iis deprauationis uestigium reperitur, si spectamus libros manuscriptos. Huc accedit, quod uersus latini 333 uerba: „extendens tum deinde manus resonantis ad undas“ neque cum praecedentibus neque cum sequentibus ulla ratione coëunt. Praecedunt enim haec: „Facis ingens flamma coruscat.“ Sequuntur haec: „Sed uoco te primum seniorem Nerea“. — Quae cum ita sint, persuasum mihi est, Leodrisium Cribellum Argonauticorum uersus 334—7 uertisse, uersionis autem uersus 334—7 casu quodam esse deletos. Nihil igitur est, cur credamus illos carminis Orphici uersus in codice a Cribello adhibito non fuisse.

---

[9]) Cf. quae de hoc uersu Hermannus annotauit in Orphicorum editione pag. 525.

[10]) In uersionis uersibus numerandis sequor editionem Hermannianam

Iam transeamus ad uersus 349, 448, 656,

ὄφρα μὲν οὖν ἐπίκουροι Ἰήσονος ἔμπεδον ἀεὶ
καί ῥ' ἔκυσεν κεφαλήν τε καὶ ἄμφω φάεα καλά,
οἳ δὲ κυβερνητῆρος ἐφημοσύνῃσι πίθοντο.

qui cum in uersione latina omittantur, in codice, quo usus est Cribellus, defuisse uidentur, nisi forte uersio etiam his locis mutilata est; quod tamen ex ipsa uersione edita non potest colligi; libros manuscriptos eam exhibentes ad manus mihi non fuisse doleo[11]).

Tribus Argonauticorum uersibus 690—2.

690 *δοῦπος δ' ἂμ πέλαγός τε καὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἵκανεν*
ῥηγνυμένοιο κλύδωνος ὀρινομένης τε θαλάσσης,
κύματι παφλάζοντι· περίβρεμε δ' ἄσπετος ἅλμη,

respondent duo in uersionis editionibus hi:

690 Hic strepitus late pelago, coeloque gementis
Praecipites resonant perruptis fluctibus undae.

Quaerendum igitur est, utrum in codice Cribelliano ex illis uersibus graecis unus defuerit, an latinus perierit. Hoc factum esse satis clare ostendit interpretationis uersus 690, qui neque cum iis, quae praecedunt, neque cum iis, quae sequuntur, uerbis coniungi potest; desideratur autem imprimis casus genetiuus nominis substantiui, quocum illud „gementis“ (=*ὀρινομένης* uel *ῥηγνυμένοιο*) iungi queat, „maris“ uel simile; quod in uersu deleto fuisse putem: „Hic strepitus gementis maris et *ῥηγνυμένοιο κλύδωνος ἂμ πέλαγός τε καὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἵκανεν*. Quae uero Argonauticorum uersu 692 leguntur, *κύματι παφλάζοντι* (colon post *παφλ.* sublatum esse uidetur) *περίβρεμε δ' ἄσπετος ἅλμη* Cribellus libere uertit sic: Praecipites resonant perruptis fluctibus (*κύματι παφλ.*) undae.

Ita cum res sese habeant, haud difficile est cognitu in uersione uersum excidisse post eum qui in „gementis“ exit, neque est, quod Cribellum uersum 691 in codice suo non legisse putemus.

Sequitur ut breuiter disseram de uersibus 822, 967, 1041, quos Cribellus uidetur praetermisisse, non quod eos in codice suo non legit, sed quia isti uersus ibi corrupti exstabant neque,

[11]) Argonauticorum uersionem a Leodr. Cribello factam exhibent etiam codex Holcamensis 433 chartaceus saeculi XV exeuntis et codex Ferrariensis 135 N A 5.

quid sibi uellent, intellegebatur. Nam his locis eae, quas codices A P F exhibent, lectiones deprauatae haud dubie Cribello ante oculos positae erant; quibus cum libris plerumque codicem Cribellianum consensisse extrema hac dissertatione demonstrabo; neque quemquam esse credo, qui quae uersibus 822, 967, 1041 in codicibus inferioris familiae reperiuntur, interpretetur. Corruptum enim est uersus 822 alterum hemistichium *μέγα δ' ἀντιάχων ἐγεγώνει* (ita et in codd. A P F et in ceteris legitur), quod Cribellum non intellexisse apparet ex uersu 831, ubi eadem uerba prorsus perperam uertit:

heroas namque ingens maeror habebat.

Et sic ideo tantum scripsisse uidetur, ut spatium uersus expleret.

Ea uero, quae initio uersus 822 leguntur, uerba *δεινὸν ὁμοκλήσας* Cribellus iam in praecedenti uersu, quocum uerborum structura cohaerent, latine expressit.

Atque uersus 967 penitus deprauatus exstat in codicibus A F, qui habent haec:

ὕδατι μὶξ δ' ὠμὰς χολάδας χεόμην περὶ βόθρον,

contra P praebet:

ὕδατι δ'αὖ μίξας χολάδας χεόμην περὶ βόθρον.

Uersu 1041 uero illud *τάμον*, quod in omnibus praeter L et S libris manuscriptis est, haud dubie offendebat Cribellum; itaque eum omittere maluit quam uertere.

Iam si quis contenderit etiam uersus 349, 448, 656 in codice Cribelliano corruptos fuisse et idcirco a Cribello praetermissos esse, cum quid sibi uellent, ignoraret, — nihil aduersor; neque magis habeo, quod contra dicam, si quis coniciat codicem Cribellianum uersus 967 et 1041 in uersione omissos non exhibuisse.

Restat, ut pauca addam de uersu 1321

ἀλλ' ὅτε δὴ βασιλῆος ἀπηνέος ἔκλυον αὐδὴν

[sc. u. 1322 *Ἀρήτῃ ῥοδόπηχυς ἰδ' Ἀλκίνοος θεοειδής*], quem in uersionis editionibus non inueneris. At tantum abest, ut illum uersum in codice Cribelliano scriptum fuisse negem, ut contra contendam latine eum expressum fuisse, periisse autem temporum

iniuria uel uitio et socordia eorum, qui uersionem latinam descripserint uel ediderint. Quod firmatur uersu proximo 1322, quem et graece et latine expressum reperimus:

Ἀρήτη ῥοδόπηχυς ἰδ' Ἀλκίνοος θεοειδής.
Arete Alcinoi clemens formosaque coniunx.

Qui uersus tam arto uerborum nexu cum uersu omisso cohaeret, ut nullo modo Cribellus potuerit alterum omittere, alterum uertere. Et qui legitur in uersione, uersus 1322 is est, ut neque cum iis, quae sequuntur, neque cum iis, quae antecedunt, uerbis coniungi queat. Quae cum ita sint, interpretationis uersum 1321 fortuito excidisse suspicor.

Contra sunt qui Cribellum in codice suo inuenisse contenderint uersum, qui non exstaret in libris manuscriptis, qui ad nos peruenerunt. Et omnes fere, qui quidem Orphei Argonautica interpretati sint, uiri docti unius uersus lacunam esse consentiunt post uersum 1273. Sed circumspectis rebus omnibus rationibusque subductis tantum abest, ut periisse uersum concedam, ut hunc locum saluum esse putem et integrum. Et praesidium huic, quam habeo, opinioni paraturus sum confutandis iis, quae obstant, argumentis. Ponam uero eos, in quibus res posita est, Argonauticorum uersus; quorum quattuor priores antecedunt locum, ubi lacunam esse dixerunt, ceteri sequuntur. Exstant autem in omnibus, qui ad nos peruenerunt, codicibus hoc fere modo[12]):

δὴ τότε οἱ πλώοντες ἐπέσχομεν οὐ μάλα τηλοῦ
προβλῆτα σκόπελον· πέτρη δ' ἐφύπερθεν ἀποῤῥὼξ
λισσοῖς χηραμόνεσσιν ἐπιθρώσκουσα βιᾶται
πόντον ἔσω, χαροπὸν δ' ἄρ' ὑποβρέμει ἔνδοθι κῦμα.
ἔνθα δ' ἐφεζόμεναι λιγυρὴν ὄπα γηρύουσιν
κοῦραι, ἀνοστήτους δὲ βροτῶν θέλγουσιν ἀκουάς
δὴ τότε δὴ Μινύαισιν ἐφήνδανε πύστις ἀοιδῆς
Σειρήνων.

---

12) U. 1276 *δὴ Μινύαισιν* Hermannus obseruata consuetudine, qua usus est qui Argonautica composuit, recte in *οἱ Μινύῃσιν* mutauit. — Uersu 1272 omnes codices praebent *λισσοῖς*. Quod mutandum esse

Neque ulla uersus omissi uestigia in libris manuscriptis inueniuntur, nec lacunam suspicaberis, si haec, quae dedi, uerba accurate diligenterque perlegeris: omnia ad intellegendum aperta sunt et plana. Sed „duri aliquid, inquit Hermannus, habet hoc κοῦραι, nisi Sirenum nomen in uersu, qui interiit, fuisse credas." Hoc dubito, num concedam. Nam cum Argonautica a laude carminis optimi et uetusti sint remotissima, cauendum esse mihi uidetur, ne offendamur rebus uel minimis. Neque dubium est, quin Hermannus nisi haberet, cur uersum excidisse censeret, in illo κοῦραι non adeo offensurus fuisset, ut lacunae signa poneret. Quod ut faceret, maxime adductus est uersione Argonauticorum a Leodrisio Cribello facta. Et iam ante Hermannum fuerunt, qui Cribellum in codice suo inuenisse dicerent uersum, qui non

---

Hermannus censuit in διοσοῖς auctoritate Perdrierii et Cribelli permotus. „Perdrierius uult διωσοῖς et ita uertit etiam." Sed ea, quam fecit Perdrierius, uersio Argonauticorum nullam διοσοῖς reipiendi necessitatem affert. Cuius de auctoritate conferas uelim, quae Wielius in parte Obsèrvationum quarta pag. 1 (1866) dixit. Nec multo maiorem uim habet altera uersio, quam debemus Leodrisio Cribello; quod demonstrabo. Ergo illud διοσοῖς, quod patet in codice suo legisse Cribellum siue re uera siue oculis errantibus, firmamento admodum exili nititur. (Eodem modo Cribellus legit uersu 431 Βρομίου Βάκχοιο [Pugnacem Bacchum] pro Βριμοῦς, Βάκχοιο, u. 703 ἐρωδιὸν ἠρήσαντο pro ἐτώσιον ἠρείσαντο, u. 751 πόλις pro πολὺς. id quod apparet e uersione). Eleuata auctoritate uersionum nihil obstat, quominus quod omnes codices exhibent, λισσοῖς recipiamus. λισσοῖς χηραμόνεσσιν optimam praebet sententiam. Sed habeo, quod fortasse etiam firmet illud λισσοῖς χηραμόνεσσιν. Quod nescio an respondeat illi σπέσσι γλαφυροῖσι. Intercedere autem similitudinem quandam inter Homerum et eos, qui splendidum Orphei nomen mentiti essent, iam uidit Tzetzes errans in eo, quod dixit Homerum Orphei imitatorem esse. At uero quatenus imitatio esset statuenda, recte exposuit. Statuit autem haec, quae nominibus inter se mutatis probata mihi sunt:

Εὑρίσκω [γὰρ] *αὐτὸν* (Homerum, sed Orpheum uel potius Orphicos scribendum erat) *ἃ μέν τινα τῶν Ὀρφέως ἐπῶν καθ' ὁλοκληρίαν πρὸς τὴν αὐτοῦ μετοχετεύσαντα ποίησιν, ἕτερα δὲ πάλιν καθ' ἡμίσειαν παρασπάσαντα· ἔστι δ' ἃ καὶ μεταφράσαντα ἢ καὶ ἀλληνάλλως μεταστρέψαντα ποίησιν.* Haec leguntur in Exegesi Iliadis. Uide Hermanni Orphica pag. 511. Cf. etiam, quae Hermannus ibidem pag. 512 dedit: *ἀφ' οὗπερ* (Orpheus) *ὁ ἐμὸς χρυσοῦς Ὅμηρος πολλὰ ἀνθεμουργὸν μέλισσαν ἄνθη ἐπῶν ἀπεδρέψατο.*

legeretur in libris manuscriptis. Quod apparere opinabantur ex ipsa interpretatione cum graeco carmine comparata. Atque primus Eschenbachius, qui iuuenis edidit Argonautica anno 1689, ad uersum 1273 adnotauit haec: „Post hunc uersum unum deesse suadere uult interpres *ἔμμετρος*. Ita enim uertit hos tres uersus (1270—73)

Haud procul hinc uecti scopulo succedimus altum
In mare porrecto, geminis hinc inde recurrens
Unda repercusso resonant[18]) per littora saxo.

Sequitur quartus uersus, qualem editiones ignorant:

Fluctibus et gratae ueniunt a cautibus aurae.

Sed fortasssis hic quartus uersus interpreti natus est ex uoce *ὑποβρέμει*.“ Neque uidetur non fieri potuisse. Cribellum enim saepius inueni aliam sententiam elocutione circumscripsisse, aliam uno uocabulo comprehendisse. At dubito, num hoc loco id fecerit.

Atque idem cum Eschenbachio sentit Gesner, quippe qui dixerit: „Post hunc uersum (1273) habuisse in libro suo uidetur Cribellus unum, cuius hanc reddit sententiam: Fluctibus et gratae ueniunt a cautibus aurae.“ Neque dubitauit G. Hermannus, qui postremus foras misit Orphei Argonautica a. 1805, eadem causa permotus lacunae signa ponere.

At uehementer errauit Eschenbachius, cuius auctoritatem qui cum eo faciunt, temere uidentur secuti esse. Leguntur enim non tres uersus, sed quattuor hi:

δὴ τότε οἳ πλώοντες ἐπέσχομεν οὐ μάλα τηλοῖ
προβλῆτα σκόπελον· πέτρη δ'ἐφύπερθεν ἀποῤῥὼξ
λισσοῖς χηραμόνεσσιν ἐπιθρώσκουσα βιᾶται
πόντον ἔσω, χαροπὸν δ'ἄρ' ὑποβρέμει ἔνδοθι κῦμα.

quibus respondent illi quattuor, qui in interpretatione exstant, uersus. Itaque nihil erat, quod suspicarentur Cribellum legisse uersum, qui non reperiretur in codicibus.

[18]) Uitiose scripsit Eschenbachius „resonant.“ Uerum est, quod editio Cratandrina anni 1523 praebet, „resonat“.

Uersus uero, quos quidem uertit, Cribellus eo modo reddere solet, ut ordo eorum seruetur; nunquam factum est, ut duos uersus in unum conflaret: singuli igitur uersus latini singulis graecis respondere solent.

Esse autem Cribelli uersionem praestantissimam neque praetermittendam uiri docti contenderunt. Ac primus Hannardus Gamerius, Scholae Tungrensis Rector, qui „Orpheum antiquissimum et optimum poëtam, Philosophum Trismegistum, de Lapidibus tum demum Latio iure donatum" interpretatus est (Leodii 1576), in praefatione Cribellum laudat et multo pluris aestimat quam Renatum Perdrierium, cuius uersio latina nequaquam facta sit „pari felicitate cum ea, quam de Dei gratia et beneficio in Argonauticis, carmine heroico pulcherrimo, redditis quidam Castellio praestitit." Nominis non recte meminisse uidetur Gamerius: sine dubio scripturus fuit „Cribellus".

Quin immo tantum pretium illi uersioni attribuit Hermannus, ut ueteris codicis instar eam habendam esse diceret: fecisse eam Cribellum usum optimo libro manuscripto. Tamen exspectatione cautius et timidius eam adhibuit ad textum graeci carminis constituendum. Contra maximam ad purganda Argonautica uim ei concessit Guilelmus Wiel; qua de re imprimis inspexeris uelim Obseruationum, quas scripsit in Orphei Argonautica, partem postremam i. e. quartam. Ubi de Cribelli uersione protulit haec, quae facere non possum, quin ad uerbum reddam. „Haec, inquit, praestantissima interpretatio cum in emendando illo carmine neglegi omnino non debeat, tamen qui adhuc Argonautica ediderunt, rarius, quam par erat, hunc fontem adierunt, et uix unius alteriusue loci medicamentum inde inuenerunt. Itaque si operae pretium futurum esse confidebam, si eam Cribelli uersionem cum graecis uerbis accuratissime comparassem, ea spes me non falsum habuit, immo bonarum scriptionum largissima messis inde redundauit."

Quam rationem secutus Wielius haud pauca, quae in Argonauticis inesse uidebantur, uitia adiuuante Cribello tollere conatus est. Hac in re ita uersatus est, ut singulis locis meliores quam

quas legebat in codicibus, scripturas ex uersione collectas insereret neglecto uersuum ordine. Cum uero quae hoc modo a Wielio propositae sunt, emendationes ipsae primo oculorum obtutu maximam partem prae se ferant speciem probabilitatis, inde concluserit quispiam optimi codicis uice fungi Cribelli uersionem, ex qua tales emendationes manauerint. At Guil. Wielius neglexit rem, quae minime erat neglegenda: omisit Cribelli consuetudinem et artem uertendi, quae elucent in Argonauticorum interpretatione: unde pendent omnia. Quibus non perspectis nullo modo fieri potest, ut recte cognoscamus, quatenus ad uerbum Argonautica de Graecis latine expresserit Leodrisius Cribellus. Et id quidem imprimis respiciendum est. Nam inde diiudicandum erit, quae fides ei habenda sit ad scripturas ex interpretatione coniciendas.

Deinde omnes, quae quidam certo ex Cribelli uersione cognoscantur, scripturae sunt colligendae, collectae accurate comparandae cum iis, quae inueniuntur in codicibus. Ita enim uidebis bonusne an malus liber manuscriptus Cribello Argonautica uertenti ante oculos positus fuerit. Haec, quae modo enumeraui, mihi quidem continere uidentur omnem, quae de uersionis pretio tractanda mihi est, quaestionem. Quae si excusseris, facile intelleges librum, quo usus fuerit Cribellus, manuscriptum plerumque lectiones inferioris codicum familiae praebuisse, idcircoque nihil fere ponderis tribuendum esse interpretationi latinae ad eum factae. Quod Hermannus nescio an incerta quadam notione animi praesenserit; unde factum esse credo, ut quamuis uersionem Cribelli praestantissimi codicis auctoritatem habere iudicasset, tamen in rem suam opinione cautius eam adhiberet. His rebus expositis operae pretium dubito an facturus sim, si illa, quam supra indicaui, ratione et uia demonstrare studuerim illam Cribelli interpretationem minime optimi libri manuscripti loco habendam esse.

Et primum quidem disputabo de Cribelli consuetudine uertendi, qua usus est in illa, ad quam spectamus, interpretatione. Quae qualis sit, facile perspicies, si accurate eam comparaueris cum graeco carmine.

Leodrisius Cribellus id maxime egit, ut Argonautica „latinitate donaret“: quae in isto carmine legebantur, ea ita exprimere studuit, ut omnia ad intellegendum facilia essent, et si qua ipsi obscura erant, ignorantiam suam oratione latina celare conatus est. Hoc tum temporis fieri solebat. Qua de re conferas uelim, quae protulerunt G. Voigt Wiederbelebung uol. II pag. 161 sq. et Io. Vahlen in den Sitzungsberichten der phil.-hist. Klasse der kaiserl. Akademie der Wissenschaften zu Wien uol. LXI (1869) pag. 15. Et apparet ex tota uersione Cribellum praecipue sententias in Argonauticorum uersibus exstantes reddere neque uerbum e uerbo exprimere uoluisse. Saepenumero enim interpretem animaduerti aliam rem simplicem elocutione circumscripsisse, aliam uno uocabulo comprehendisse. Atque hoc, quod eum tenebat, studium interpretandi uel explicandi imprimis effecit, ut libere Orphei Argonautica uerteret; quare prohibetur, quominus, quae scripturae in Cribelli codice fuerint, liquido cognoscamus. Sed restat, ut nonnullos proferam uersionis locos, quos si comparaueris cum graecis uerbis, perspectum habeas illud carmen Orphicum parum ad uerbum in linguam latinam translatum esse. Ponam uero uersus graeci poëmatis uel hemistichia uel uerba inter se cohaerentia iisque subiungam Leodrisii Cribelli interpretationem latinam.

u. 3 *κλέος ἐσθλὸν*
praemia famae

u. 16 *ὁπλότεροι βροτοί·*
nostri

u. 30 *καὶ Ἀδωναίην Ἀφροδίτην* (sc. laudabo)
Uenerem ut amauit Adonis (sc. dicam)

u. 60 *ὃ δ' ὡς κλύεν ἔκνομον αὐδήν;*
sed uox ut perculit aures || Impia

u. 69 *τρίβους δ' ἤνυσσε θαλάσσης.*
et pleno tenuit sua littora cursu

u. 102 *ἱκόμην ἐπὶ γαῖαν ἀπείριτον*
terrarum uidi loca plurima

u. 106 ὄφρα τέλος θανάτοιο κίχω μετὰ γήραϊ λυγρῷ.
Ut teneam tardos morientis tempore canos.

u. 107 ἃ δὴ πεπρωμένα κεῖται.
fatales — leges.

u. 120 Ζηνὶ Κρονίωνι μιγεῖσα (sc. τέκεν)
de magno tonante (sc. peperit)

u. 127 νῆα κατιθύνειν δεδάει πολυμήτιδι τέχνῃ.
Doctus [et] ad tutos Argo perducere portus.

u. 142 Κάνθος δ' Εὐβοίηθεν Ἀβαντιάδης ἐπέρησεν.
Transit Abantiades Euripi littora Canthus.

u. 151/2 πέμψε γὰρ αὐτὸν ¦ ἴφθιμος γενέτης.
nam iussa parentis ¦ Magnanimi urgebant.

u. 316 εἰς αἰθέρα· δῖαν
ad superos

u. 377 παύσαντο δὲ μόχθου.
dant membra quieti.

u. 596 λύτο δ' ἀγών·
Hic pugnae modus.

u. 599 βρόχῳ ἄπο θυμὸν ὄλεσσεν (sc. σύγγαμος αἰνή).
suspensa pependit.

uss. 683/4 Αὐτὰρ ἔπειτα (Αὐτάρ οἱ Herm.) Φινῆος Ἀγηνορίδαο λιπόντες ¦ αὖλιν, κτλ.
Hinc igitur miseri crudelia tecta tyranni linquimus, et qu. sequ.

u. 735 ὅν τοι ἐγὼ μύθοισιν ἐνὶ προτέροισιν ἔλεξα.
Alloquor hunc (i. e. Ancaeum) Tiphym fueram qua uoce locutus.

[u. 1034 ὅν ῥα (i. e. Absyrtum) κατακτείναντες ἐπὶ προχοὰς μεθέηκαν]

u. 1035 [ὀρνυμένου ποταμοῖο·] φέρεν δ' ὅγε κύματι κραιπνῷ.
[Et caesum uasti iaciunt in fluminis undas.]
Gurgite quem mersum rapiunt Nereides alto.

Iam transeamus ad rem, quae est grauissima, e qua dilucide apparet Cribelli consuetudo libere uertendi. Eadem enim uerba

graeca interpres ille aliter aliis locis latine reddere solet, ueluti uocem ναῦς uel νῆυς, quam modo uertit: puppis (id plerumque factum esse inueni) modo: nauis, quin etiam bis (uss. 655 et 1105): carina. Et quod dixi, id uerum esse facillime intelleges, si spectaueris Argonauticorum uersus 236 et 408, 253/4 et 1281/2. Exstant enim eadem fere uerba uss. 253/4, quae uss. 1281/2. Legimus autem

uss. 253/4 αὐτὰρ ἐγὼ φόρμιγγα τιτηνάμενος μετὰ χερσὶν
μητρὸς ἐμῆς ἐκέρασσ' εὐτερπέα κόσμον ἀοιδῆς.

et uss. 1281/2 εἰ μὴ ἐγὼ φόρμιγγα τιτηνάμενος παλάμῃσιν
μητρὸς ἐμῆς ἐκέρασσ' εὐτερπέα κόσμον ἀοιδῆς.

Simili modo inter se consentiunt uersus 236 et 408, quorum alter talis est:

αὐτὰρ ἐπεὶ σίτοιο ποτοῦ θ' ἅλις ἔπλετο[14]) θυμός,

alter hic:

ἀλλ' ὅτε δὴ δόρποιο ποτοῦ θ' ἅλις ἔπλετο[14]) θυμός.

At uero eos, qui inter se congruunt, uersus graecos Cribellus binis illis locis minime eisdem uerbis latinis, sed prorsus diuerse expressit. Est autem interpretatus uersus 253/4 sic:

Ast ego cum cithara meditatus carmina nostra
Mellifluasque mea resonans cum matre camoenas,

et uersus 1281/2:

Ipse ego ni citharae uersis in carmina cordis,
Quos mater docuit, misissem pectore cantus,

uersum 236 ita:

Sed postquam sat cuique fuit potusque cibique,

uersum 408:

Cum iam mensa hilares animos foecunda dedisset.

Itaque cauendum est, ne suspicemur Cribellum casu fortuitoque iisdem uocibus in uersione utentem pares etiam in Orphei Argonauticis legisse.

Atque tantum abest, ut uerbum e uerbo expresserit interpres ἔμμετρος, ut contra saepius ne sententias quidem, quae in-

[14]) In omnibus codicibus legitur ἔπλετο; quae lectio defenditur a Wielio (Obss. P. III pag. 4/5). G. Hermannus scripsit ἔλπετο.

sunt in Argonauticorum uersibus, recte reddiderit. Quod uel maxime iis locis reperitur, ubi Cribellum corruptam uel ad intellegendum difficilem scripturam in codice suo habuisse uerisimile est.

Uersus 18 in omnibus codicibus sic fere deprauatus exstat:

[Γηγενέων,] οἳ λυγρὸν ἀπ' Οὐρανοῦ ἐςάξαντο[15])
[σπέρμα γονῆς τοπρόσθεν, ὅθεν κτλ.]

et eadem uel similia in codice, quo Cribellus usus est, fuisse uidentur. *ἐτάξαντο* autem idem est, quod „aciem instruxerunt". Uertit igitur Cribellus illum uersum liberrime[16]):

-⏑⏑, qui in superos aciem struxere nefandam.

De uersus 831 altero hemistichio, quod omnes libri manuscripti corruptum exhibent sic: *μέγα δ'ἀντιάχων ἐγεγώνει* (et eadem habebat codex Cribellianus sine dubio) confer quae pag. 55 dixi.

Illud *Ἄμπυκι,* quod in uersu 129 legitur, nomen proprium esse Cribellus ignorabat. Interpretatur igitur uersus 129/130

Καὶ Μόψον Τιταρῆθεν, ὃν Ἄμπυκι νυμφηθεῖσα
Χαονίην ὑπὸ φηγὸν Ἀρηγονὶς ἐξελόχευσεν.

sic: Et te, Mopse, adii, Titaresie splendida cultu
Chaoniam peperit quem subter Aregonis alnum.

Ἄμπυξ uero idem significat, quod apud Iuuenalem (II, 84) „redimiculum frontis". Itaque libere Cribellus illam uocem latine expressit: „splendida cultu". Et illud, quod exstremo uersu 953 legitur, *θεράπνην* locum sacrum significare nescit interpres, sed reminiscens uersus 207, ubi *Θεράπνας* inuenitur, uocum similitudine adductus est, ut *θεράπνην* nomen proprium esse putaret. Uertit enim *θεράπνην*: Therapnen. Cf. etiam uersum 190, ubi *Ἀντιάνειρα* legitur, quod nomen proprium Cribellus interpretatus est: „animosa". Talia haud pauca sunt. — At Leodrisius Cribellus ubi, quid uellent Argonauticorum uersus, non recte intellexit, iis locis coactus erat, ut aut libere eos uerteret, aut omnino omitteret. Hoc factum esse uersibus

---

[15]) G. Hermannus scripsit *ἐκμάξαντο* pro *ἐστάξαντο.*

[16]) Nihil est, quod cum Wielio (Obss. P. II pag. 21/2) coniciamus Cribellum in codice suo legisse *ἐπ' Οὐρανίους τάξαντο.*

822, 967, 1041 iam supra exposui, illud luculentissime apparet ex uersu 831.

Quamuis oratione soluta uti liceat, difficillimum munus subit qui id agit, ut libellum ab aliquo scriptore compositum totidem uerbis, quot ibi legerit, e lingua peregrina in suam transferat. Sed si quis hac in re sibi proponit, ut insuper uersus faciat, in multo maiores difficultates incidit. Neque facere potest quin, ut metrum integrum sit, immutet ordinem uerborum. Atque quoniam ad certam pedum necessitatem alligatus est, euitare uix potest, ne alia omittat, alia inculcet. His igitur rebus impeditur, quominus omnia ad uerbum exprimantur. Itaque qui ex tali uersione ipsa scriptoris uerba retro uertere audet, caueat ne in errores deducatur. Et Cribellus Argonautica latine reddere simulque metrum heroicum ita seruare conatur, ut singuli uersus latini singulis graecis aptissime respondeant. Quae cum ita sint, non est, cur miremur alium uerborum ordinem nos legere in Orphei Argonauticis, atque in Cribelli uersione istius carminis. Sic igitur frequentissime interpretem aberrasse a carmine graeco animaduerti. Neque ita raro Cribellus ea, quae insunt in Argonauticis, uocabula omnino non uertit, contra multa, quae in ipso carmine non leguntur, affinxit. Atque id quoque, quod aliquoties (uss. 27, 30, 36, 43, 50, aliis) contra leges grammaticas peccauit, ad metri necessitatem referendum esse puto.

Tantopere igitur *ἔμμετρος* interpres uerborum graecorum collocationem neglexit, ut aegre afferas uersum, ubi eam seruauerit. Eos autem, qui inter se cohaerent uerborum structura, uersus ita miscet et confundit, ut interdum primo obtutu uersuum ordinem a libris manuscriptis discrepantem ante oculos positum habuisse uideatur. Sed uidetur habuisse. Hoc loco maxime spectandi sunt uersus 98, 99, 100

Αἰσονίδη, τί με ταῦτα παραιφάμενος ἐρεείνεις,
ὄφρά κεν ἐς Κόλχους Μινύαις ἐπιί'ρανος ἔλθω
νηΐ σὺν εὐσέλμῳ πλεύσας[17]) *ἐπὶ οἴνοπα πόντον;*

---

[17]) G. Hermannus e codice R dedit *πλείων*.

quos uertit Cribellus sic:

Aesonida, quid tanta mouens hortaris et urges
Ire procellosas armata puppe per undas,
Ut ueniam Colchon Minyis adiutor in urbem.

Unde si quis coniecerit Cribellum uersum 100 ante uersum 99 paucis immutatis legisse, uehementer errauerit. Nam obstant omnes qui quidem patefacti sint, codices; in quibus cum nullum alius uersuum ordinis uestigium reperiatur, uerisimile non est Cribelli codicem ab iis hoc loco discrepasse. Quae cum ita sint, ex illis uersibus nihil patet nisi Cribelli consuetudo libere uertendi. Exstant autem similia exempla, unde eadem fere eluceant.

Legimus enim in graeco carmine:

uss. 220/221 οὓς (sc. *δισσὸν Βορέου καλὸν στάχυν*)
τέκ' Ἐρεχθῆος θείου κλυτή [18]) *Ὠρείθυια*
Ἰλισσοῦ παρὰ χεῦμα θεοῦ φιλότητι μιγεῖσα·

apud Cribellum:

Quos peperit nubens Ilissi ad fluminis undam
Regis Erechthei diuum genus Oreithya.

uss. 499/500 *οὐδ' εἰς γαῖαν ἔριψαν ἐΰγνάμπτους ἀγκύρας*
κύμασι θεινόμενοι ὑπὸ χειμερίῃσι ἀέλλαις.
Et nullo introrsum motis aquilone procellis
Iactanda in medios non haec fuit anchora fluctus.

uss. 1220/2 *κούρη ὁμογνήτη μεγαλόφρονος Αἰήταο*
Ἡελίου θυγάτηρ· (Κίρκην δέ ἑ κικλήσκουσιν
μήτηρ Ἀστερόπη καὶ τηλεφανὴς Ὑπερίων)
Filia quam dicunt proprio de nomine Circen,
Affuit, Aeetae iusto sociata iugali,
Quam tulit Asterope splendenti Hyperione mater.

Porro inspexeris uelim uersus 478—80, 612/3, 781—4, e quibus dilucide cernimus, quantopere Cribellus graecorum uerborum ordinem in uersione perturbauerit.

Confer etiam uersus 205, 223, 288, 326, 438, 950, 1096,

---

[18]) Hermannus dedit *κούρη κλυτὸς.*

alios, quorum hemistichia a Cribello inter se commutantur. Ponam uero hoc unum exemplum:

Legitur u. 205 *ἀγλαὸν ἠνορέην, δέμας εἴκελον ἀθανάτοισιν.* apud Cribellum: Corpore dis similem, et praestanti robore clarum.

Itaque cauendum est, ne optimis codicibus posthabitis interpretatione latina commoueamur, ut Argonauticorum uerba uel uersus transmutemus. Atque quas hac de re inde hauserit quispiam, emendationes prorsus sunt aspernandae.

Et quod supra dixi Cribellum nonnunquam quae in Argonauticis legerentur, uocabula omnino non reddidisse, contra multa, quae ibi non exstarent, affinxisse, id uerum esse facillime cognosces, si animum intenderis imprimis in adiectiua quae dicuntur ornantia. Quae saepenumero in uersione praetermissa esse repperi. Hoc meum paucis exemplis firmare liceat. Praetermisit autem Cribellus uocabula, quae in carmine graeco insunt, haec:

u. 55 *φαεσιμβρότου* [*Ἠελίοιο*]
u. 61 *πότνιαν* [*Ἥρην*]
u. 71 *δῖος* [*Ἰήσων*]
u. 77 *φίλε* [*κοῦρε*]
u. 134 *περικλυτὴ* [*Εὐπολέμεια*]
u. 138 *χρυσόῤῥαπις* [*Ἀργειφόντης*]
u. 141 *χρυσάορι* [*Φοίβῳ*]
u. 238 *ἁλίη* [*νῆυς*]
u. 246 *εὔλαλον* [*Ἀργὼ*]
u. 316 [*αἰθέρα*] *δῖαν*
u. 476 *κλυτὸς* [*Ὑψιπύλεια*]
u. 480 [*Κύπρις*] *ἐρωτοτρόφος*
u. 494 *γλαυκώπιδι* [*Τριτογενείῃ*]
u. 678 *κλυτοῦ* [*Βορέω*]
u. 697 *γλαυκῶπις* [*Ἀθήνη*]
u. 870 *αἰνόγαμος* [*Μήδεια*]
u. 909 *δεινολεχὴς* [*Μήδεια*]
u. 1031 [*νὺξ*] *ἀστροχίτων*
u. 1033 *ἐρικλυτοῦ* [*Ἀψύρτοιο*]
u. 1060 *βοοκλόπος* [*Τιτὰν*]

u. 1173 *ἀτρυγέτοιο* [*θαλάσσης*]
u. 1180 *αἰνολεχῆ* [*Μήδειαν*]
u. 23 *ἀμαιμακέτου Κρονίωνος*
u. 28 *ἄνακτος*
u. 189 *ἄνακτι*
u. 226 *ἄνακτος*
u. 382 *αἰπεινὰ κάρηνα*
u. 992 *κούρη Αἰήτεω*
u. 1196 *Μουσαῖε δαΐφρον*

Atque plura huiusmodi exempla possum afferre; sed uereor, ne longior sim.

Affinxit autem Cribellus haec quae subducta lineola conspicua reddidi:

	In carmine graeco legitur:	apud Cribellum:
u. 78	*ἀνάσσων*	rex optime
u. 82	*ξεῖνος*	hospes certus
u. 143	*ὃν δὴ Μοῖρ' ἐδάμασσε*	quem Parcae domuere graues
u. 407	*αὐτὰρ ἔπειτ' ἐπένειμε ποτὸν μελιήδεος οἴνου*	Deinde tulit dulcis gratissima pocula Bacchi
u. 413	*Χείρων*	senex — Chiron
u. 488	*Ἴλιον* (pro quo Hermannus ex emendatione Ruhnkenii *Ἴδην* recepit)	Ilion ingens
u. 725	*αἶσα*	parca — iniqua
u. 1049	*Κερκετικῶν τ' ἀνδρῶν φῦλον*	Cerceticique ferox ea gens.
u. 1080	*Μουνιχίη*	diuae Hecatae.

Deinde uero ab interprete addita sunt haec, quorum nullum uestigium in graeco carmine inuenitur:

u. 51 Iason
u. 73 Delphice
u. 133 patris

u. 215 patre magno
u. 434 per atria
u. 534 nauita
u. 1021 Iason
u. 1033 fratris
u. 1071 Argo.

Haec, quae modo attuli, exempla, imprimis uersus 143, 488, 725, 1080 si spectamus, fieri non potest, ut codicum auctoritate posthabita u. 1167 recipiendum esse putemus, quod Wielius uersione nixus coniecit *αἰνὴ* (pro *αἰεὶ*).

Uersu 1167 et iis, qui sequuntur, in omnibus libris manuscriptis legimus haec

ἐπεὶ νῦν αἰεὶ Ἐρινὺς
αἵματος ἐμφύλοιο δεδουπότος Ἀψύρτοιο
ὑστερόπους ἕπεται.

Hoc loco illud *αἰεὶ* „et ipsum sine sensu et sententiarum rerumque continuationi repugnans“ Wielio (Obss. P. II pag. 22) displicet. „Cribellus, inquit, habet, ‚fera Erinnys‘, unde poëtae restituendum est *ἐπεὶ νῦν αἰνὴ Ἐρινὺς,* nisi grauiore mutatione scribere malis *ἐπειγομένοισι δ' Ἐρινὺς,* cum etiam *νῦν* non ualde placet“. Altera mutatio grauior mihi esse uidetur, quam ut probari possit. Atque quae ex uersione hausta est, correctio quamuis prae se ferat speciem probabilitatis, certo caret fundamento.

Immo *αἰεὶ,* non *αἰνὴ* Cribellum in codice suo legisse liquet. Uertit enim hunc locum: Nam me fera s e m p e r Erinnys — insequitur. Est autem *αἰεὶ* plane necessarium ad sententiam. Hermannus obseruata consuetudine eius, qui Argonautica composuit, pro *νῦν αἰεὶ* posuit *νύ οἱ αἰὲν.* Quod mihi quidem placet. Desideratur enim datiuus, qui pendeat ab *ἕπεται.*

Pauca habeo quae addam:

Saepe interpres *ἔμμετρος* loco nominum quae legit in Argonauticis propriorum posuit patronymica, ueluti

u. 231	*Ἡρακλῆϊ*	Amphitryonidae
u. 304	*Ἡρακλέης*	Alcidae

u. 331	Ἰήσονα	Aesonidem
u. 419	Ἡρακλῆϊ	Alciden
u. 527	Ἡρακλῆϊ	Alcidae
u. 553	Ἡρακλέης	Alcides
u. 585	Ἡρακλῆϊ	Alcidae
u. 642	Ἡρακλέης	Alcides
u. 658	Ἡρακλῆα	Alciden
u. 770	Ἰήσων	Aesonides
u. 1177	Ἰήσονος	Aesonidae

Contra rarius inueni patronymica a Cribello in nomina propria mutata esse. Sed sunt exempla, ueluti

u. 282	Αἰσονίδης	Iason
u. 693	Ἀγνιάδη	Tiphym
u. 948	Αἰσονίδην	Iasona

Simili modo fit, ut in Argonauticis legamus:		apud Cribellum:
u. 26	Περσεφόνης	raptae
u. 120	Ζηνὶ Κρονίωνι	de magno tonante
u. 177	Διὸς μῆνιν	patrias iras
u. 179	Ἀσκλήπιος	filius Apollinis
u. 127	νῆα	Argo
u. 484	ποτὶ νῆα μέλαιναν	Argo
u. 658	νῆα	Argo
u. 712	λάλος τρόπις	Argo
u. 732	νῆα	Argo
u. 738	Ἀργὼ	puppis
u. 890	δόμον Αἰήταο	paterna tecta
u. 1022	νῆα	Argo
u. 1083	Ἀργὼ	puppis.

Porro saepissime obseruaui Cribellum nominum substantiuorum numerum mutasse. Nam pluralis in uersione crebro inuenitur, ubi in Argonauticis singularis exstat. Sed eadem etiam contra ualent.

Legimus enim in carmine graeco		apud Cribellum
u. 73	μελίγηρυν ἀοιδήν	sacros cantus
u. 143	μοῖρ(α)	Parcae
u. 322	παλάμῃσιν	dextrae
u. 354	Ἐριννύες	Erinnys
u. 425	γῆς	terris
u. 465	γαῖαν	terris
u. 614	λάασι	marmore
u. 643	παλάμαις	dextram
u. 665	σταθμοὺς	stabulum
ibidem	δόμον	tecta
u. 732	χερσὶν	manu
u. 754	κλυτὰ φῦλα	inclyta gens
u. 943	ἐς πατρίδα γαῖαν	in patrias terras
u. 977	δέμας	corpora
u. 1107	οὖρος	uenti.

Inepte autem in interpretatione Cribellus Orpheum alloquentum facit uersu 129 Mopsum, uersibus 159 et 163 Meleagrum, uersu 721 Lycum. Talia sunt etiam in uersibus 139, 141, 147, 462, 582, 1256, aliis. Neque ullum harum allocutionum uestigium in Argonauticorum codicibus reperitur.

Hac in quaestione haec duo semper studebam tenere primum, ne exempli causa afferrem uersus, de quibus libri manuscripti nimis inter se discreparent, deinde Cribellum in codice suo legisse easdem scripturas, quae inueniuntur in libris omnibus. Hoc eo magis credo, quia uersio a Leodrisio Cribello facta in lacunis, quae sunt post uersus 93, 224, 603, 1069, 1092, 1234, 1324 et plerumque in nominum propriorum deprauationibus cum cunctis Argonauticorum codicibus ex archetypo Ω deriuatis consentit, ueluti

uss.	ubi codices exhibent:	in uersione legitur:
139	Ἀκτορίδης	Actoride
151	Ἰφιδάμας	Iphidamas

uss.	ubi codices exhibent:	in uersione legitur:
180	Ἀκτορίων Ἶλον	Actorion Ili
462	Πισσαίη	Pisaeus
468	Πελλήνην	Pellenen
488	Ἴλιον	Ilion
506	Εὐδώρου θυγάτηρ Αἰνίππη	Eudori Aenippe
602	Κλείνην	Cleinen
726	Ἀμπυκίδην Ἴδμωνα	Idmona Ampyciden
754	Ἀραξῶν	Araxae
813	Αἰήτης Μινύαι τε	Aeetes Minyaeque
1366	Κραναὴν	Cranaen.

Sed u. 1287 in uersione legimus „Lycaoniam“ pro „*Λυκτονίην*“, quae scriptura in omnibus libris manuscriptis est. Fortasse illud „Lycaoniam“, — quae est facilis emendatio, — Cribelli coniecturae tribuendum est.

Patet igitur codicem Cribellianum ex eodem libro *Ω* profectum esse, ex quo omnes, qui exstant, Argonauticorum libros manuscriptos fluxisse necessario statuimus, neque est, quod codicem illum hos praestantia et uetustate superasse putemus.

Quae cum ita sint, eae, quas Wielius ex illo fonte sese hausisse profitetur, scripturae sententias meliores praebentes, quam quae leguntur in Argonauticorum codicibus, firmamento admodum exili nituntur atque ingenio huius uiri docti magis niti uidentur, quam codice Cribelliano; hae igitur, quas uersionis maxime auctoritate confisus Wielius protulit, emendationes graeci carminis epici, si modo emendationes sunt appellandae, pro meris coniecturis habendae sunt.

At uero tantum abest ut, quas lectiones praebuerit codex Cribellianus, ex uersione posse intellegi prorsus negem, ut contra aliquoties dilucide eas inde apparere contendam. Cum enim uerisimillimum sit interpretem nomina propria, quae quidem seruaret, seruasse quam maxime ad litteras, facile, quas eorum scripturas exhibuerit codex Cribellianus, ex uersibus latinis co-

gnoscitur. Praeterea uero quid haberet codex ille, uix cernere poteramus, nisi subuenirent libri manuscripti. Qui ubi prorsus inter se discrepant, euenire solet ut, quid legerit Cribellus, perspiciamus. Id uero liquido ex interpretatione intellegimus, cuius codicis ad scripturam illis locis proxime accedat scriptura Cribello ante oculos posita. Quodsi illas, quae quidem ex uersione coniciantur, lectiones collegeris, collectas comparaueris cum iis, quae reperiuntur in codicibus, facile uidebis plerumque eas consentire cum scripturis inferioris codicum familiae.

	Codd. melioris classis L M 1 et 2 RSU exhibent:	Codd. pejoris familiae A P F praebent:	In uersione legitur:	Uidetur igitur codex Cribelli habuisse:
u. 157	*Λιπάξον*	*Λιπέζον*	Lipezon	*Λιπέζον*
u. 587	*Ἀθήνης* L, in RSU lacuna est.	*Κάστορι*	Castor	*Κάστορι*
u. 641	*Ὀργάνθον*	*Ἀργάνθον*	Arganti	*Ἀργάνθον*
u. 742	*δέ μιν σκύρης*	*Θεμισκύρης*	Themiscyres	*Θεμισκύρης*
u. 742	*βοιατίδος*	*βοιαντίδος*	Boeantidos	*βοιαντίδος*
u. 744	*Τιβαρηνά*	*στυβαρήνα* (ed. princ. = APF)	Stybarena	*στυβαρήνα*
u. 756	*Χινδαίων*	*Χιδναίων*	Chidnaeos	*Χιδναίων*
u. 918	*εὐώδης*	*εὐειδὴς*	pulchrior his	*εὐειδὴς*
u. 920	*κυκλαμές*	*κυκλαμίς*	Cyclamis	*κυκλαμίς*
u. 920	*θεοειδής*	*θεουδής*	deuota aris	*θεουδής*
u. 925	*κάλπασον*	*κάπασον*	Capason	*κάπασον*
u. 964	*πνίκον*	*κνῆκον*	Cnecum	*κνῆκον*
u. 1048	*βουνόμαι*	*Βουνόμαι*	Buonomae	*Βουνόμαι*
u. 1064	*Βαθνάργων*	*Βαθυχαίτων*	immenso crine	*Βαθυχαίτων*
u. 1066	*Ἀριμάσπας*	*Ἀριμάσθας*	Arimasthas	*Ἀριμάσθας*
u. 1309	*Ἐράνων*	*Ἐῤῥαύων*	Errayon	*Ἐῤῥαύων*

Atque iis locis, ubi codices melioris familiae ita inter se discrepant, ut pars eorum lectionem propriam habeat, pars cum libris A P F faciat, codex Cribellianus cum hac parte consentire solet:

u. 18	*Γηγενέων* L M 1 et 2	*Γιγάντων* ceteri	Gigantum: uersio	*Γιγάντων* cod. Cribelli
u. 31	*μητρὸς* L S M 1 et 2	*νυκτὸς* „	noctis „	*νυκτὸς* „
u. 314	*πολλὰ* L R	*πέπλα* uel *πέπλῳ* „	uestes „	*πέπλα* „
u. 315	*περιμηκέα* L S	*περιμυκέα* „	mugitu praestantem „	*περιμυκέα* „
u. 610	*τανυφύλλου* L R	*τανυφλοίου* „	cum cortice „	*τανυφλοίου* „
u. 650	*ἠΐθεον* R	*ἀντίθεον* „	similem deis „	*ἀντίθεον* „
u. 751	*αἰπύ* L	*ἐστί* „	est „	*ἐστί* „
u. 1377	*Ἰαωλκὸν* S	*ἐπ' Ἰωλκὸν* „	Iolcon „	*ἐπ' Ἰωλκὸν* „

At uero ne quae minus nobis fauent, consulto reticuisse uidear, addam haec: Uersu 373 codex Cribellianus cum LRS *διὰ γῆς* praebuit, et uersu 865 cum iisdem consensisse uidetur, qui habent *πατρὸς ἐν οἴκῳ;* ceteri libri manuscripti exhibent *διɩσσῆς* u. 373 et *πατρὸς ἐνιπῇ* u. 865. In uersione enim latina legimus altero loco: „propter terram“, altero „in patriis laribus“. — Sed talia exempla cum rarissime inueniantur, nullam habent uim ad euertendam meam de uersionis pretio sententiam. Et id quoque, quod codex Cribellianus tres exhibebat uersus (51, 99, 1285), qui in codicibus A P U desunt, leguntur in melioris classis libris, parui momenti est. Nam in scripturis, non in uersuum numero res posita est.

His expositis patet ad artem criticam in Argonauticis factitandam nihil ualere uersionem, quam Leodrisius Cribellus pessimum librum secutus fecerit.

Graefenhainichen, typis Schulzianis.